QK. 186. 30 3. (X2000 274)
Xa 1934

# VINDICIAE NORBERTINAE

*SIVE*

OSTENSIO SUMMARIA

*DE*

# NORBERTI,

ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS
ET PRIMATIS GERMANIAE

## RELIQVIIS

E COENOBIO B. VIRGINIS MAGDEBURGICAE
TEMPLO, PRAGAM IN STRAHOVIENSE FF. PRAEMON-
STRATENSIUM MONASTERIUM
*NUNQVAM TRANSLATIS,*
CUM RESPONSIONE BREVI AD LIBELLOS
STRAHOVIENSIUM FF. SUBSIDIARIOS
*DE*

## TRANSLATIONE ET CULTU RELIQVIARUM,

*VERITATIS ET PIETATIS CAUSSA*
EDITA,
ET IN ACADEMIA JENENSI
*AD D. XIIX. OCTOBR. ANNO LXXXIII.*
PRÆSIDE

PHILIPPO MÜLLERO, D.P.P.
PRAEPOS. AC PRAELAT. MAGDEBURG.

*AD PUBLICUM EXAMEN*
*PROPOSITA*
A

M. CHRISTIANO SCHNEIDERO,
SANGERHUSANO. DURINGO,
SS. THEOL. STUDIOSO.

---

JENAE, LITERIS JOH. JAC. BAUHOFERI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0001-2

# ELECTORALIS BRANDENBURGICI REGIMINIS ET CONSISTORII IN DUCATU MAGDEBURGICO PERINCLUTI

# DN. CANCELLARIO

AC

# DNN. CONSILIARIIS,

GENERE, VIRTUTE GLORIAQVE EXCELLENTISSIMIS,

PRECES VOTIVAS ET OBSEQVIA

DICAT

AUTOR

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0002-7

Dignum eſt, PATRONI OBSERVANDISSIMI, perpetuâ meditatione ac ſtudio monitum nominis Chriſtiani ſectatoribus ab Autore epiſtolæ ad Ebræos *c. XIII, 7.* ſuggeſtum: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* *Memoriam* enim cognitorum urget, eamque *practicam*, qualis enituit in Rechabitis erga patrem ſuum, *Jerem. XXXV.* ne ſint ſimiles *homini ſpeculum intuenti, ac mox ut inde receſſit, oblito ſpeciei ſuæ, Jacob. I, 23.* Cognitio ipſa pro eo ac fert humana affectio percellit & excitat maximè, cum ab exemplis petitur; his præſertim, quibus innutriti ſumus: cùm longior multo & languidior via ſit per præcepta, ſed brevis & efficax per exempla, quod Romanus ſapiens cenſet. Undè laudatæ Epiſtolæ Scriptor tam operosè congerit *memorias ſanctorum* ab orbe usque cognito, & hoc dictum ceu *συμπέρασμα* maximè comtum infert, quòd vel ethnicus eloquentiæ magiſter *Rhetor.* I, indicat, oratoriam paradigmaticam maximè *θορυβοῦσθαι* ſeu percellere auditores. *Quos* autem memorabiles velit in tantâ nube teſtium, deſignat elogio *Præpoſitorum*, qui & *προεστότες, ἐπίσκοπον, πρεσβύτερον*, pro variâ connotandi ratione ſalutantur. Ac definit monumenta ab ipſis excitata & nobis perpetuo obverſatura; Primum nempe *Verbum Dei*; Verbum, ut ordinarium humanæ doctrinæ & vitæ directorium. Ac iſthoc non hominis inſtinctu & autoritate, nec de humanâ ſolùm potentiâ & voluptate mundanâ proditum; ſed Verbum *Dei*, à Deo, de Dei voluntate, divinitus patefactum. Quod laudati Præpoſiti locuti ſunt, ſine ulla *καπηλευτικῇ* nundinatione & cauponatione, ſive ex immediatâ inſpiratione Dei, ſive per *θεοπνεύστους* viros cognitum non more illius qui talentum ſudario involutum operæ pretio nullo, premebat, & hoc cum palam & per totum orbem habitatum, ut Apoſtoli Dei, tum in ſuâ quisque eccleſiâ, ac ad ſingulos fideles,

quos prædicatione iſtâ vel edocere ſtatuerunt de vera ad ſalutem via; vel edoctos confirmârunt indies, & animaverunt ad vitam dignam Evangelio Chriſti. Tanto majore omninò ſucceſſu, quanto potentior eſt monitor, qui ſuopte periculo conſilium exequitur, & dicta factis æquat: Id quod cum hi præpoſiti tam egregiè præſtiterint, usque ad ipſam ἔκβασιν ſive *exceſſum* ſuum; verè ἡγέμενοι *duces*, vocantur: collectos enim nos & impulſos ad ſequendum, duxerunt viâ rectâ, ad ἔκβασιν eandem, quæ ſit beata peregrinationis mortalis clauſula & introitus in gaudium Domini. Sicut docet eccleſiæ militantis præfectos, ut auſpicio divino, colligant, erudiant, rebusq; benè geſtis, ac diſciplinâ ſuâ ex cultis fidelibus, ſuum corpus non *animum*, non *vitæ pulcherrimam imaginem* ſubtrahant. Huc demum ipſi, ut interrito animo, ac indefeſſo labore contenderent, facilè præſtitit *Fides*, ὑπόστασις illa rerum ſperandarum, & pignus nondum apparentium *Ebr. XI, 1.* quæ præparavit Deus ſui amatoribus; quicquid contra ſtrepat ratio hominis dubia, & externa piè credentium fortuna. Quæ ſanè admodum aliena in ſpeciem eſt à propoſitâ in Verbo Dei felicitate; ac dum ſervi ac internuncii ipſam prædicantur *Judæis Scandalum, Græcis ineptiæ* *mundo toti* κάθαρμα, *probrum, piaculares hoſtiæ Rom. IIX, 36.* fiunt *1. Cor. I, 23.* Sciunt tamen, ac perſvaſi ſunt, *cuinam crediderint, & quod Ille melioris vitæ promiſſor depoſitum gloriæ & coronæ immarceſſibilis ſervaturus ſit: ipſis in diem Jeſu Chriſti 2. Tim. IV, 8.*

Undè hic Epiſtolographus, tam prudens, quam ſalubris eſt autor. *Memoriæ Ducum noſtrorum*; ut hi nullo non tempore obverſentur animis, excitent ad propoſita, arceant à prohibitis, confortent in inceptis, velut ſtudio quod ingreſſi ſumus. Uti Chriſtus ipſe cùm *Fidei autor*, tum *Vitæ Magiſter noſter* celebratur; perinde Chriſti Diſcipuli è ſtudio aſſimili agnoſci debent: Cum etiam ratio ſana erigat animos ad trophæa aliena, ut Themiſtoclem Miltiadis illa, apud *Plutarch. in Parall.* Memoriam ſequitur *Deflexio* animi in ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς. Ἀναστροφὴ iſta erat cum per ſe recta, imitatio Dei, qualem Henochus aliique ſancti inviſiſſe dicuntur; tùm exemplar propoſitum aliis, qui ἀναθεωρεῖν debeant in ipſum, ut in ſeſe, velut in materiâ ſubjectâ formam ſimilem exprimant & repræſentent. Id quidem ad præceptum pictorum, qui imaginem viven-

tis

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0004-8

tis expreſſuri identidem reſpiciunt in prototypum: donec ſpecies tota reddatur ad modum ſpirantis corporis quod exprimi debuit. Hoc verò ut obtineatur, *Fidei ejusdem Imitatio* requiritur. A fide enim *integer vivendi modus emanat. Niſi futuris bonis fidem hi præſtitiſſent & nihil hæſitantem; nunquam tam integre & ſine culpâ vixiſſent*, ut Theophylactus benè declarat.

Si modò quis *inductionem* talium imitatorum poſtulet à nobis, is dememiniſſe videbitur, quòd ipſe recenſus *cap. XI.* ſanctorum, hoc totum abundè præſtiterit: hi omnes enim teſtimonium fidei conſecuti, *verſ. 39.* & Chriſtum Jeſum, qui heri, hodiè, ipſe & in ſecula, intuiti ſunt. Unde nec poſthac velimus doctrinis variis & peregrinis abduci; cum optimum ſit, gratiâ ſtabiliri cor, *d. cap. v. 9.* Ac eodem tetendiſſe confidendum ſit, inter tot fidelium duces à Chriſtiana Eccleſiæ primordiis exortos NORBERTUM, *Archi-Epiſcopum Magdeburgicum & Germaniæ Primatem, Ordinis Præmonſtratenſis Inſtitutorem.* Elucet enim ex hiſtoriâ Zelus viri mirificus Verbum Dei prædicandi; converſationis tam operoſæ & ſplendidi finis decorus; ac inter tot vices rerum ipſius, *Fides.* Cæteroquin vix credibile ſit, ab homine nobili & ad mundi honores plenis velis vecto. ſperni potuiſſe tot vitæ illecebras, & indui velut habitu ſolenni, tempeſtate ſtatûs in hac vitâ calamitoſi & odioſi. Sanè cupido gloriæ humana ingenia, per varia novorum commentorum ſpecimina, non raró ad ultimam patientiam adverſitatum obſtruit; ac ſimulatione inpenetrabili adeò indurat, ut pauciſſimis prodat ſeſe; ac, ſi quâ parte detegatur, tunc, comparatione totius vitæ ac inſtituti, conſortio humanæ infirmitatis facilè excuſetur. Tam altè infixum eſt ambitioſis animis πολυθρύλλητον: *Diſſimula, ſimula.* Qui neſcit hoc, regnare neſcit. Meliora interim ſine urgenti in diverſo ſtimula præſumere, & in dubio quod mitius eſt ſequi, bonos & æquanimos homines decet. Donec facto conſtiterit de verſipelle dolo; ac Deus cordium ſcrutator occulta animi revelârit, & retribuerit unicuique pro eo ac vel ſtipulas vel lapides fundamento unico ſalutis Jeſu Chriſto ſuperſtruxerit.

Enimverò, ex quo ipſe, fato meo perductus ſum ad curam hujus Eccleſiæ, quæ ſecundos natales debet laudato Norberto; cam-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0005-4

pos ubi Troia fuit, lugens gemensque ſpectavi; ac, (plane miſerum & vix reliquias ac ipſam umbram referre viſum, ad fidem querelarum Fundatoris juſtiſſimarum) præſentem ſtatum comparavi ad Inſtitutum priſtinum, undè ſatis animadverti quo conſilio, & labore & impendio conſtare oportuerit monumentum hoc fidei & pietatis Chriſtianæ; quamvis πατροπαράδοτος opinio nonnulla detorſerit. Præſertim ſi ad tempora ſequuta deventum eſt, quibus in pluribus, inter Chriſtianos locis ſacris animus, opera ſtudiumque omne tuendi parta, aſſerendi erepta, reconcinnandi & in publicum decus patriæ communis adornandi, præmium invenit Invidiam, Odium, obtrectationem, ac ἄσπονδον adverſus ſalutaria bellum & foris, & domi, quam ſeditionibus miſcere & infenſi animi virus hoſtili dolo diffundere conſilii pars optima, ac ratio eſt, occupatos tam in expectatis malis, abſterrere à ſenſu ipſo nedum conatu proventuque potiorum. Elogia indè ſolennia, ſi diſciplinam curatam, ſi depoſitum ſacrum defenſum velimus, *Novatorum*, *Turbatorum*, ac publica ad tribunal actio, ut illius in Romanorum innocentiſſimum, qui vim graſſatoris declinaverat; *quòd nudo corpore telum non excepiſſet.* Tanto magis ridiculæ ſimplicitatis ſuperſtitio Strahovica apud vulturios aliquos habebitur; cum potiùs dotales fundi & cenſus, quam caduci corporis cinis, rapi debuerint, ſi licuiſſet. Nil omninò referre Evangelicorum Norbertus ſine re, an Bohemicus ſit. Sed tales abundent per nos ſuo ſenſu. Quantum è Republ. petatur cum oſſa religionem popularem tractura ceduntur, res docet. Niſi devotio compar in Norbertum, ut in Deum ipſum, pridem excuſſa & lucri ac potentiæ ſpes ſimilis eſſet, non minus calidè prenſari retentariq; reliquias videritis. Ad me quod attinet, repetitâ meritorum Norberti ſpecie, μεγάλην χάριν parario bonorum talium deberi, decusque non periturum adſcribi jus faſque agnovi; ac ſi quid juſti inter fideles honoris poſſet adſtrui, non ſegnem me aut incurioſum eſſe oportere cenſui. Nedum ut Norberto jus ſuum pro virili aſſereretur, &, quod poſt obitum ſibi rectè vindicat memoria noſtri, humano ac divino jure, ab injuſtâ manu vindicaretur. Maximè diſparente penitus exemplo eorum qui fovere hæc loca, qui augeſcere malint; & prævalentibus ingeniis, quæ verſa bona, ac pontificatos

cum

cum ſacco, miſeriâ contabeſcere gaudent. At ſi cui homini vel vivo vel mortuo inſignis & atrox injuria illata uſpiam videri poteſt, is verò Norbertus eſt; invicem tot officiorum humanitatis, tot beneficiorum; quorum alumnos maximè decebat, ſi non extantiore gratitudinis exemplo eminere; certè ſatagere tuarum rerum ſine ullâ notabili offensâ benefactoris. Maximè cum leo mortuus ſui tutelam amiſerit, ac cordatum & bonum quemlibet obliget pro humani generis conſcientiâ, ut defendat inſontem à vi & maleficio. Tam forſitan inexpectatam plurimis querelam nemo verterit vitio mihi amplexo præter indicatam erga mortuos benè meritos reverentiam, nomen præpoſiti in cœnobio hoc, quod Norbertus à ſeſe, ſingulari ſtudio & operâ reformatum poſteritati, non pænitendâ, ſed piâ, ſed gratâ, ac in genus humanum ſalutari reliquit. Pro moderno quidem ſtatu religionis in Chriſtiano, qui dicitur orbe, id monaſticæ genus quod *Ord. Præmonſtratenſis* præſefert totum non complectimur: nec tueri noſtrum eſt corruptelas, quæ Verbo Dei, Converſationi externæ, & fidei ſalvificæ, aliundè inſuere conata eſt heterodoxia diutina & multiplex; cui, pro ſeculi ingenio, Norbertus mederi non potuit; hoc viciſſim quod Norbertus rectè & præclarè cepiſſe ac effectum dediſſe dici poteſt, diligenter ſervare nitemur, ut loca pia jura ac bona reſidua uſibus probatis tributa, memoriam viri velut quotidiana documenta virtutum ejus, interpolent.

Id verò quod malè habet nos, eſt Primò *Sepulchrum Norberti Violatum* & ſpolium corporis ad beatam reſurrectionis ſpem compoſiti; cujus *Actio*, quamvis malis Germaniæ publicis prædominantibus, à tanto tempore ordine inſtituta non ſit & politici Status Mutatione ſopita videri poſſit, cui nil quicquam derogatum velit, Pacis amans civis: nihilominus, pro rerum *ſubjectarum* indole cauſa bonis, ac liberum bonis & Chriſtianis animis agendi jus relictum eſt. Nam & catholicorum, ac ſi rectè conjicimus, candidiſſimi ordinis virorum Veſtro nomine, in flagranti adhuc facinore, cauſa tam honeſta & neceſſaria ſuſcepta videtur, & à Violatoribus agnita; prævalente, intercedentibus tamen hinc juſtis, potentiâ raptorum, indè malis noſtris hactenus dilata vel omiſſa viſa fuit. Et quamvis, cum rerum fidem æſtimamus, magis Reorum confeſſio, quàm erepti veritas in ipſos militare

pos-

poſſit; facinus tamen oris gloriatio cum injuriâ humanitatis ipſius & Pietatis conjuncta, præſcriptiones civiles non inducit. Indè Abuſus putatitiæ prædæ in Deum hominesque, quo religioni publicæ obtruſo Norbertum jam ἀνάισθητον in terris ἀντίθεοι & Idolum Baaliticum ſub larva Chriſtianæ Pietatis oſtentant. Satis morarum & malorum impunè illatorum eſt. Exoriare aliquis Norberti ex oſſibus ultor, & reddi res, puniri vim, caſtigari ſuperbiam & tolli vanam prædæ partæ opinionem totve inde ludibria toti Ordini & orbi Chriſtiano indignè illata, Deus O. M. jubeat! Mihi curæ eſt negotii, pro rerum indole, neceſſaria diſcuſſio.

Vos etiam, animis, moribusque Patroni ac Domini honoratiſſimi ut in parte autores inſtituti mei eſtis viſi; ſic perpetrato fautores fore confido. Approbare quidem operam meam omnem Judiciis Veſtris magnopere ſtudui, pro eo ac meretur illuſtris ſingulorum virtus & univerſorum Perſona quam eminentiſſimam impoſuit Vobis Elector Potentiſſimus. Cujus Serenitati Vitam & Gloriam, Vobis, parti Corporis Principalis tam ſpecioſæ, felicitatem proximam in provinciâ clariſſimâ ad priſtinum decus ac gratiam reducendam; vicem quoque exhauſti laboris ſaluberrimi dignam, interceſſione apud Deum O. M. perpetuâ ſeriò, ſancteque advoveo. Deus Vos ſervet. E. Cœnob. Marian. Kl. Octobr. Anni Salutis recuperatæ M DC LXXXIII.

* * *

DE

DE

# TRANSLATIONE RELIQVIARUM NORBERTI,

## PARS I.

### AN SIT FACTA?

NOtiſſimum per Germaniam ac alias plures Eu- §. 1.
ropæ provincias eſt inſtitutum Religionis novæ,
Pragæ in Cœnobio Strahovienſi Ordinis Præ-
monſtratenſis, excitatæ ad ſpeciem RELIQVIA-
RUM B. NORBERTI, *quondam Archiepiſcopi
Magdeburgenſis, Germaniæ Primatis, ac So-
dalitatis dictæ Conditoris*. Illuc perlatas fuiſſe
ipſas creditur à *Caſpare Queſtembergio* Abbate dicti monaſterii *an. 1626.*
elevatas *è cœnobio* B. *Mariæ Virginis in Civitate Veteri Magdeburgenſi*;
quæ, Cæſaris Ferdinandi II. Syſtaticis & Cæſareanorum ducum in
Saxoniâ tunc militem tenentium commendationibus armatis mota,
ope conſilio rem eò perduxerit, ut Abbas in hoc cœnobium, ejusqve
templum, ad ipſum ſepulcrum Norberti, paſſim effoſſa humo, pa-
vimento diruto & altari deſtructo diu quæſitum, ſe penetraret: ac ſpe-
ratam hanc prædam, erutam tumbâ lapideâ, triumphabundus aufer-
ret. Hunc ſucceſſum Fratres Strahovici, tempore illo longè lateque §. 2.
libris editis deprædicârunt, ac ordinem Præmonſtratenſem totum,
alioſque Catholicos concire ſtuduerunt, ad Elevationis ſuæ Panegy-
rim quàm ſplendidiſſimè inſtruendam. Eorum ad manus noſtras ſe-
rò ac nunc demum pervenére 1. *Narratio Translati è Saxoniâ in Boë-
miam Sacri corporis Beatiſſimi Viri Norberti, Germaniæ Primatis, Condi-
toris & Patriarchæ Ordinis Præmonſtratenſis: Cui compendioſa vitæ rerum-
que ipſius Norberti Hiſtoria; Commentariolus item de Transferendis San-
ctorum Reliquiis, præmittuntur; Referentibus Fratribus Monaſterii Stra-*

*hovienſis ejusdem Ordinis, in Superiore Pragâ ſiti; Pragæ ex officina Typographicâ Pauli Seſſii, anno 1627.* 2. *Octiduum S. Norberti Triumphantis, ut audiant qui non viderunt, repræſentantibus Triumphatoris ipſius in Monte Sion Pragæ filiis, F.F. Strabovienſibus. Pragæ apud Petrum Gelehn Bibliopolam: Typis & operis Pauli Seſſii A.S. 1627. m. Majo.* 3. *Translatio Sanctiſſ. Patris noſtri Norberti Conſummata, Referentibus iterum ipſius in Monte Sion Pragæ filiis F F. Strabovienſibus. Typis & operis Pauli Seſſii A.S. 1628.* Plurium editio innotuit; ſed lectio nobis non obtigit.

§.3. In iſtis quidem tria hæc, quæ præfert *Inſcriptio*, operosè agitantur I. *Jus & Uſus Translationis corporum pie mortuorum.* II. *Veritas Hiſtoriæ de hac Norberti Reliquiarum Translatione.* III. *Jus & Gloria facti à Queſtembergio & fratribus perpetrati.*

§.4. De *priorum* ratione ſicut doctrina communis ſuperſedere nos jubet labori ſollicitiori; ſic viciſſim *Facti Relatio Strabovica* præſenti & accurato rerum intuitui comparata, non immeritò ſuſpecta videri, & bonos atqve cordatos Queſtenbergici moliminis æſtimatores advertere poteſt, ad vetus illud μέμνασο ἀπιςεῖν, ἄρθρα ταῦτα φρενῶν; ut, donec exploratum ſit, *An unquam Norberti laudati Corpus Magdeburgo Pragam perlatum fuerit?* devotionem ſuam, ſtudium & impenſas ad certiora conferant. Ejus ſententiæ ὁμοψύφους nobis fore confidimus Lectores ſequentium, in quibus ad libellos modo dictos, I. *de Norberti translatione commentitiâ*; II. *De transferendi injuriâ*, III. *De*

§.5. *translatarum abuſu* agetur. *Autoribus* & documentis iisdem utemur, ad quæ provocant fratres, ſcilicet *Inſpectione loci*, è quo ſancti corpus erutum & ablatum dicitur; *S. Scripturâ* & *Scriptoribus Eccleſiaſticis*; demum *Jure humano* & *Ratione ſanâ*, arbitrâ non contemnendâ rerum humanâ induſtriâ tentatarum; undè *uſus* colligetur. Non conſectabimur omnia, quòd nec neceſſitas id poſtulat, inito è dictis judicio; & in bonâ causâ vel tria verba ſufficiunt. *Stilus* eſto ſimplicior ac procul â triumphabundo illo, quo Fratres ebrii fortunâ novâ gaviſi ſunt. Nec verterint nobis vitio *Dubitationem* tam improviſam; dubitare enim vel de ipsâ Salute jubet fides catholica, *Concil. Trident. Seſſ. VI. c. 9. & can. 13. 14. 15.* *Probra* & convitia, quibus Fratres toties erumpunt, ipſorum ingenio, à Norbertinâ moderatione alieno, remittimus; rem ipſam quàm integrè tam modeſtè expenſuri.

Cùm

Cùm igitur omnis *facti* probatio teſtibus & argumentis probabilibus conſtet; ac modò quæratur *de Inventis & Pragam translatis Norberti Reliquiis;* trium Teſtium fide id negotium nititur I. Abbatis Queſtenbergii relatione, II. Notarii Rhorii inſtrumento, III. Fratrum ſupremâ & quam ipſi laudant, penitiore inveſtigatione. Cui eodem loco, tempore, fineqve confectum concivis Ludolphi Mülleri Inſtrumentum germanicum ſociabimus, & cum iſtis accuratiùs recognitis, ſub calcem annectemus. Fratrum libellus integer excedit impenſarum modum; fortè & in manibus Lectoris hodienum eſt; eoque carptim citabitur, eâ fide, quam, uti confidimus, arguere ipſi non auſint. §.6.

In quibus notari merentur cum ea in quibus convenitur, tum ea, in quibus diſconvenitur. Convenitur 1. *Tempore*, Actum id eſſe *anno 1626. m. Novembr. d. 23.* 2. *Loco Communi*, qui ſit Cœnobium B. Mariæ Magdeburgenſis, ejusque templum. 3. *Causâ impulſivâ externâ*, Ferdinandi II. Cæſaris Reſcriptis ad Duces bellicos, ad Senatum Urbis, ad Capitulares Cathedrales, ad Præpoſitum & Fratres Cœnobii. Quibus unicè præfertur, ſpiritualis conſolatio Cæſaris & ſperatæ proſperitatis incrementum. 4. *Causâ efficiente phyſicâ* cùm principali, Abbate Caſpare Queſtenbergio, qui negotium perurſerit, tum adminiſtris, Præpoſitis D. Martino Stricerio & Criſpino Fuck atque Capitaneo Sbrajavaccâ; Magdeburgico Senatu Adjutore; unoquoq; pro ratâ parte. 5. *Contrario diſſenſu* Fratrum, miniſterii oppidani, Principis Adminiſtratoris, è quibus Fratres Mariani tandem metu perculſi ceſſerunt. 6. *Subjecto*, corpore quodam reperto & ſublato. 7. *Actu* (1) *ingreſſus* templi, (2) *inquiſitionis* diutinæ, (3) *dejectionis altaris & Crucis*, (4) *effractionis pavimenti*, (5) *tumbæ* cujusdam lapideæ *inventionis*, (6) *ferrearum* ſubſcudium *reſolutionis* & (7) *cadaveris* cujusdam *exemtionis* & ablationis. Quibus addas licet 8. *Famam* publicam de Norberto tunc translato. 9. *Confeſſionem Fratrum*, à ſe Norbertum loco haud motum eſſe, 10. *Marmor Epitaphium*, cum inſcriptione: NORBERTUS DEI GRATIA S. MAGDEBURGENSIS ECCLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS INSTITUTOR, ET HUJUS MONASTERII RESTAURATOR, SUB HOC CONDITUR MARMORE. OBIIT ANNO DOMINI §.7. §.8. §.9. §.10. §.11. §.12. §.13. §.14. §.15.

§. 16. M.C.XXXIV. D.VI. JUNII. Quod 11. *ſuperextiterit ſepulcro* erectum, ad
§. 17. aram S. Crucis, cui tumba ſubjecta fuerit. Adde 12. *habitum Norberti Corporis*, procerum, involutum purpureæ veſti ſericæ, auratis floribus ſparſæ, Pallio Pontificali, Manipulo aliisque indiciis perſonæ deſideratæ, ornatum.

Quæ collecta non obſcurum indicium fecerint, Norberti corpus revera inventum & aſportatum Pragam fuiſſe.

§. 18. Diſconvenitur I. *Sepulcro & ipſius Loco proprio*. Exſtructum omnino hoc templum eſt formâ crucis; cujus apicem Chorus ſublimior, ſive *Adytum*; transverſam trabem, *Gremium* templi; & porrectum in longum *Pronaon* efficit; periſtylio oblonga utrinſecus tectum; deſinens in binas *turres*, velut clavos quibus pedes Chriſti figebantur cruci. Gremium illud templi tribus æqualibus partibus dividitur; cujus media, uti Chorus & Pronaon totum, ſubterraneis cellis concameratur; niſi quòd Abbas ille Norberti emortuale tectum ſe diſiecisse profitetur, mediam nempe concamerationem Gremii; è quo in periſtylium Cœnobii venitur.

Ac dictum templi Gremium ſuſtinetur illâ quam diximus cryptâ, è quâ in aliam, cui chorus incumbit, tranſitur. Illius *Gremii umbilicum* ſ. centrum occupat hodienum celebre illud *Norberti ſepulcrum*, è lapide candido, ſecto, in altaris formam & amplitudinem ſtructum. Ac pars chorum verſus porrecta, & femoribus tributa, depreſſior eſt quadratâ illâ mole, & tres ferè pedes longa, alta tres, lata duos. Sic tota ſtructura interior ad menſuram & habitum corporis humani excavata eſt, ut Mumiæ Ægyptiæ, vel infantes involvi ſolent. Conferruminatur parte inferâ ferreis fibulis. Tegitur quadrata moles lapide uno; cujus in anticâ, caput verſus, parte excisâ, comparet velut Janua, quæ exactè claudit operculum, anſat, annulo ferreo antrorſum immiſſo, & inſignis cruciculis in angulo quovis inciſis; quæ & in operculi totius angulis extant, ut agnoſcas conditorium humani corporis eſſe; nec, id pro operis ſpecie, niſi illuſtris perſonæ.

Hoc loco compoſitum *principio* fuiſſe Norberti corpus, *Relatio Fratrum* è *Vitâ Sancti c. 51.* indicat; Sed altiſſimè ſubticet ipſa ac Abbas, *conditorium ipſum etiamnum extare*, aut ſibi conſpectum eſſe.

Vi-

Viciſſim ex hiſtoriâ Vitæ Norberti *d. c. 51.* aſſerunt, corpus hoc paucis poſt obitum Patris annis, à fratribus translatum, alii tumbæ lapideæ inditum,& mediæ è tribus fornici, per quas crypta choro ſubjecta introitur, ſic inſertum fuiſſe, ut altare *S. crucis* dictum ſuſtineret, cum cruce ligneâ, è tholo adyti anteriore è catenâ demiſsâ,ac pertingente ad Sepulcrum. Unde crucem, aram & pavimentum ipſum emoveri oportuiſſe, ut diu & anxiè quæſitam hanc tumbam eruere & effringere poſſent.

De quo vero negotio ut dubitetur, hæc adducunt. II. Incertiſſimi fuêre Magdeburgici Cives, Mariani Fratres, aliique indigenæ; nedum Abbas & ſocii, de corpore, an & ubi pro iſthoc tempore conditum extaret? Famâ factoque ſteterunt veteri, corporis illati in templum. Unde corporis deſiderati anxia & laborioſa inquiſitio; effoſſa circa verum ſepulcrum paſſim humus ab ipſis incaſſum, ut hodienum patet; acriter inſtitum Conventui, ut prodecerent occultatum; ac aliàs dubitatum & deſperatum eſt *in Narrat.* §. 19.
III. *Liber Vitæ Norberti* ſi profertur, is verò cujus autoris eſt? tam, per compilata à Fratribus, futiliter ſcriptus, ut, quid certi & præclari tribuamus ipſi, non appareat. Fratres quidem autorem dicunt *Hugonem*, Norberti Sodalem & *ab anno S. C. 1128.* in Abbatiâ Præmonſtr. Succeſſorem; ac dicam ſcribunt Cardinali Baronio diverſa ſcribenti. Licet ipſe Baron. ad *A. C. 1118. n. 20. Hugonem Vitæ Autorem, & Abbatem* nominet. Et huic verò & Fratribus obſtat ratio, quòd *c. 12. libri* de Hugone iſto tam pompoſe ſcribatur, ut ipſum ſui præconem nemo ſtatuere poſſit. Fratres quidem re animadverſâ malo cauturi, προεπιπλήξει utuntur, ac parum probabiliter obtendunt *ſolennem modeſtiam ſuorum hominum, in ſupprimendo nomine autoris*; hinc *illa verba ab alio quodam & amore Hugonis ducto eſſe inſerta.* Quo conceſſo & accepto, quidni & alterum dictum *de translatione Norberti primâ* inſititium videri poſſit? Sic Compilatio eorum, quæ tanquam miracula tribuuntur Norberto in libro, ut quidem Epitome fratrum præfert, tam inconcinna, ac ejus notæ tradit, ut plura non conveniant tantæ dignitatis & virtutis viro. Cui etiam cum conſtet imputari apud Hoſpinianum *de Orig. Monach. c. 47. Magicam artem*, *Narratio* minus oportunè profitetur *c. 47.* Norbertum tentâſſe, ut Summum §. 20.

 mum

mum templum vendicaret ſuo Ordini; inde ortam ſeditionem in Urbe & templo *c. 48.* ac inflictum humero Norberti gladium reſiliiſſe velut ab incude; hinc proclamatum, *quòd magus eſſet.*

§. 21. Accedit IV. *Voluntas Norberti de ſuâ ſepulturâ in hoc loco*; Ac

§. 22. V. *Secundum ipſam, Cæſaris Lotharii decretum*, quo lis inter Fratres & Capitulum Eccleſiæ cathedralis finita eſt. At Fratres iſtos Norberti corpus, tam nullâ idoneâ causâ, auſos loco movere, nondum conſentaneum eſt. Nam obtentus Narrationis, de *Studio* Fratrum & *deſiderio* Norbertum *propiùs & in conſpectu habendi*, vanior apparet: cum locus *prior*, ſit & præcipuus ad condendum tale corpus; (qualem quoque Strahovici referunt ſe tribuiſſe denuò reliquiis ablatis, *in Translatione Conſumm. c. 2. p. m. 7.*) & aptiſſimus, quo ſepulcrum ſpectari, circumiri & coli poſſit. *Locum*, inquiunt, *ubi collocatæ Sanctæ Reliquiæ, eum Reverendiſſimus Antiſtes noſter media Templi noſtri regione, ante Sacrarii ſeu chori, ut hodiè vocant, cancellos optavit. Optandi cauſa, quòd is locus & maximè rem tantam decere & venerantium ſtudiis ac votis, præ cæteris ſe idoneum offerre videretur. Nam & digniſſimum eum qui medius; atque adeò unum omnibus ex æquo, tam nobis, videlicet è Sacrario, quàm ipſi reliqua ex æde populo undecunque conſpicuum facilemque acceſſu.*

§. 23. Cujus VI. facti, nec *anno* (de quo nihil compertum haberi d. l. fatentur) expreſſo, nec *documento* idoneo addito, jactatio cui facilè perſuadebitur? Præſertim cum 1. Strahofici, commento rem carioſam firmaturi, inſerant *p. 82. corporis*, quod aliquot annis poſt primam condituram ſit exemptum, *habitum ſit nilumve mutatum*; idque (cum ſuo parenthetico (*ut apparet*) ſcilicet: eoque, more in rebus deſperatis tragico, deum è machinâ, ac *miraculi opus credibile* fingant. Licet nuſpiam appareat rem ita ſe habuiſſe; Nec ſit credibile, Deum ob impotens illud paucorum monachorum deſiderium, miraculum in cadavere & ejus involucris, velut in deſerto in Iſraëliticis, operatum eſſe, contra claſſicum: *pulvis es & in pulverem reverteris.* Nempè, quòd artis circulatoriæ eſt, fucus fuco tegi, & commentum hiare viſum, tectorio novo palliari debet. Providere enim poterant, objectum iri translationi illi primæ, ut poſt annos aliquot ceptæ, tabem & cineres corporis ſepulti: Indè ſuam novam in fumum abituram,

quo

quo contendunt, corpus *anno 1626.* repertum planè eâ integritatis ſpecie, quâ primò fuerit compoſitum. Benè, quòd ſciverunt illud: *oportet eſſe memorem! Fide* opus habent, cui tam alioquin parum tribuunt, & *credentibus*, quos ut ridiculos exagitant, in theatri novi panegyri ornandâ. Adde quòd 2. translatio quam dicunt primam, §. 24.
vix quinque cubitorum à priſtino, in areâ eadem, & in multo obſcuriorem & anguſtiorem locum, fornicem nempe cryptae medium futura, nec conſpectum fratrum juviſſet, & magis inconſpicuum ſepulcrum reddidiſſet. Deferunt nos gradus ab occidentali & orientali latere, ad id ſepulchrum, quod hodienum, in medio Gremio primitus ſtructum, cernitur. Porrò, ut inſpectio docet, oſtio orientali ex amuſſim convenit marmor, quo ipſi indice ſeſe penetraſſe putant ad veram corporis tumbam. Cumq; ab occiduâ parte fores gradibus objectæ, isque ſolennis deſcenſus fuerit, ſat credibile, orientales gradus olim non patuiſſe. An verò nondum eò profecerant Priores? uti Muhammædis Meccani corpus in medio ædis libratum, religioni miſerorum hominum aliquandiu expoſitum fuiſſe legitur. Cætero- §. 25.
quin ſi 3. tantus *amor* fuiſſet corpus proferendi & demerendi; rectiùs, ac ad genium Strahoſicum, vel in *aperto* ſive Gremii, ſive Chori; vel in Sacelli, quod choro ſubjectum & columnis ac altari inſigni ſubſtructum & ornatum eſt, medio collocaturi erant: non utique minus intelligentes quid religionem, & ſuum Patrem deceret.

Ipſe VII. *ſarcophagus*, cui inſitas reliquias ſeſe exemiſſe affir- §. 26.
mant, nullâ notâ vel literâ inſignis extitit, quodnam corpus iſtic deliteret; tacent omnino Abbas, ejus Notarius & Narratio Fratrum: non omiſſuri tantillum, qui alia parum ad rem facientia, tam ſollicitè compilârunt: uti Abbas urget *antiquitatem* contra incredulos, curioſe contemplatus thecam. Ac licet *marmor* indicatum, prolatum velint; fatentur tamen, iſtud olim motum, ac modò non repertum eſſe *ſupra ſarcophagum*, ſed erectum & applicatum tergo aræ ſuperſtantis, quam ipſi diruerint: Contra quàm tenor verborum Inſcriptionis poſtulat: SUB HOC CONDITUR MARMORE. Cum ejus tota *ſpecies* oſtendat, non tam ad columnæ erectæ, quàm ad operculi uſum factum fuiſſe. Ipſa quoque *ſcriptura* illius Romana

nulli

nulli hactenus *aurea* viſa, recentior eſt & ab literis illius temporis quæ in hoc templo inveniuntur, aliena. Sic cum *numero dierum menſis*, quo Norbertus mortuus ſit, *dies 6. Junii*, & *Feria quarta Pentecoſtes ſ. 8. Idus Junii*, in *Vita c. 50.* legatur. ; deſiderabit meritò quis *Titulum Primatis Germaniæ*, quem Norbertus quod omnes norunt, (is ne an primus, alibi videbitur) obtinuit, omiſſum ; non exiguum honoris ultimi elogium, utpote ad ſtatum pertinens, futurum. Undè colligere licet, quantum iſti marmori tribuere debeamus.

§. 27. Adverſatur IIX. dictis *Crux*, à qua *altare*, quod ſe diruiſſe dicit Abbas, nomen habuit. Nam hæc, per Narr. p. 179. inſtitit ipſi ſarcophago ut àrbor ex ore ſancti germinans. Comparet crux eadem, ut inſpectio monebit, etiamnum, ſepoſita ad Gremii partem occiduam, pervetus ac modici operis, cum ferreâ anſâ in capite, undè ſuſpendi commodè potuit. Quam altero tanto longiorem fuiſſe oportuit, ſi pertigit ad Sarcophagum dictum, quod dicunt Fratres. Eam truncatam eſſe interim ullâ parte, non fert proportio operis.

§. 28. Non minor dubitandi ratio occurrit IX. in contenti *corporis deſcriptione*. 1. *Calicem* corpori appoſitum fruſtra requiſivit Abbas ; & ad Socios identidem dictitare auditus eſt, Notario Müllero indice : *miror non adeſſe Calicem. fuit inſignis concionator, Salvator totius Germaniæ, &*

§. 29. *magiſter tot & tantorum miraculorum.* 2. *Annulum*, elapſum digito defuncti, aureum & ſapphiro ornatum, ac ad ſe receptum Abbas fatetur, ita Notarius ejus & Fratres, *Narr. p. 185. 210.* Eum verò exuviis jam convaſatis, in conventu cœnobii non protulit, ſed finxit, *palam è cryſtallo eſſe.* Recepit ſanè initio, ſi quid theſauri inveniretur, bonâ fide relictum iri. Pretio *appenſo annulum redemtum per*

§. 30. *Abbatem*, Notarius finxit, tacente *Narrat.* negante *Notario altero.* 3. *Veſtimenta* non reſpondent Ordini Norberti, quem ut *de Sepulcro*, ſic de *velamine corporis ſui* præcepiſſe credibile eſt ; uti enim liceat formulâ FF. Sin minus, fratres ultro circumdederunt id quod *Ordo* popoſcit, ut & *Candidatus* æternitatis amictu Ordinis proprio, nunc maximè ſimili niteret. Hac *humilitatis* ſpeciè lætari, ac commendari ad incrementa fortunæ ſummæ viſus; non facilè deprehendi voluiſſe dicetur in eo ſplendore auri & purpurei ſerici, excedens hâc vitâ, quæ introitui ad Archiepiſcopale faſtigium adeò diſſimilis videretur. Sin quod corpus dicto involucro

cro tectum, reperiunt, ſeculi genium induit, ultra, quàm ſimplicitas Norbertina tulit. Quid indè obſtiterit, aliquem Præpoſitum tali amictu ibi conditum fuiſſe; cùm Fratres narrent, *hunc locum Præpoſitorum ſepulturæ proprium eſſe* d. c. 51. §. 31.
Sed & 2. *Conſenſus* Relationum trium parum evidens eſt. §. 32.
*Pallium Pontificiale*, *ſtolam*, *manipulum*, *potiore parte integra* prædicat Notarius. Sed *Narratio p. 184. 185. Pallii*, ait, *quod Pontificiale dicimus*, *cycladi*, *inſuper ad humeros & pectus circumpoſiti ſolæ craciculæ*, *quibus inſigniri id ſolet*, *integræ ſupererant*. Nec veroſimile eſt, pallium (ſi laneum illud Epiſcoporum ſit) magis durabile fuiſſe quàm ſericum induvium, quod ipſum dicunt annis adeſum fuiſſe: Præcipuè cum *Pedum* ligni, ut *pondus* ab Abbate prædicatum, §. 33.
teſte Notario Müllero, probat, non vulgaris, ſed durioris, nihilominus dilapſum in duas partes per ætatem referatur. Sic Abbati *Cyclas* §. 34.
ſ. *pallium pluviale* dictum in *Narratione p. 184*. *Stola ſacerdotalis promiſſa & ſinuoſa*, *ſerica*, *colore purpureo*, *& floribus aureo filo pertextis ſparſa*, ſcribitur. At narratio, *colorem extinctum*, & *aureos flores* mutat in *textum* utcumque *floridum*. Hanc ſtolam Abbas fert *ſupra & infra pe-* §. 35.
*ctus confixam fibulis binis*, *argenteis*, *auro & gemmâ variegatis*; *quarum unam ipſe*, *alteram Stricerius extraxerit*, teſte Notario Rhorio; & ſic *evolvi corpus ac elevari*. Verùm Notarius idem ac Narratio p. 184. fibulas mutat in *acus*: quarum *tres* eſſe repertas, easque *æreas*; *ſtolam ſupremâ mediâ & imâ parte confibulantes*: nec ſolvi commodè ſtolam, ac revelari potuiſſe corpus totum dicetur, ſi fibula vel acus una nondum exempta fuit. Mentio *rupturæ* non fit. Siqùe cauſſemur cum Fratribus: *initio creditum fuit!* non igitur credere tutò licet Abbati & ejus Notario: qui oculati & præſentes, ac jejuni hactenus, exterſisque oculis, cum in numero ipſo falluntur, apparet, an plus Fratribus abſentibus ac diſcerptâ ac confusâ compage corporis habituque omni, credi debeat? Quorum dictis ne ſtetur, 3. intercedit cùm *contradictio*, §. 36.
tum *defectus teſtium oculatorum*. Licet enim Notarius ipſorum provocet ad hos; *Narratio* tamen, *adhibitis licet lychnis*, *locum obſcurum manſiſſe p. 186*. quod ipſum incredibile dicetur; *ſolum Abbatem cum Stricerio*, *Criſpino*, *ac Sbrajavaccâ rem confeciſſe*; ac *faceſſere ſe juſſos inde ac de templo reliquos*, *etiam famulos ſuos*, quamvis bonos catholicos. Ita Narratio p. 186. Neque de famulitio quenquam propiùs, aut ægrè ad-

 mo-

modum paterentur maximum illud Sacerdotum Par. Bonos autem illos cives, qui ut teſtes à Rhorio requiſiti ſcribuntur, procul adſtitiſſe patet, parùm cupidos, nedum arceſſitos, ut huic tam injucundæ runcationi & eruderationi oculis oreque toto incumberent. Undè Notarius Müllerus fidem meretur, narrato: *totum illud inceptum quærendi & effringendi loculum, abſentibus civitatis commiſſariis & conventualibus, tentatum: & quamvis, nuncio accepto de reperto loculo, ipſe ac dicti homines deſcenderint iu templum, ſpectaturi exitum rei; Abbatem contra noluiſſe alium quenquam præſentem ferre: Sed imperaſſe, ut abſcederent templo quotquot operi non deſtinati ſunt. Materiam ſtolæ ad lumen candelarum non ſatis dignoſci potuiſſe: Abbatem totum involucrum cum adhærentibus oſſulis & defluxionibus carnium, correptum, implicaſſe ſindoni recenti.*

§. 37. Satin' patet, hos homines fugiſſe lucem & conſcientiam alienam, & theſauri reperti fidem ac religionem, malè adhibito aſtu Strahovico, maximè ſuſpectam feciſſe? Conſtantiam Imperatricem, ne annoſæ jam, partum ſubjectum quisquam criminaretur, in propatulo, ac præſentibus plurimis honeſtis fœminis peperiſſe legimus. Quidni in re tam incertâ, obſoletâ, & deſtinatâ magno uſui ſacrorum, convenit, quotquot poſſent contrahi, acciri ultrò, ut conſpicarentur hunc Norberti ſitum, ſpeciem, habitum, ac indicia ſingula ejus non ſuppoſititii agnoſcerent? Nec enim proficit Abbatis conteſtatio in rem ſuam *de antiquitate loculi*, qui, more tam vetuſto, lapideus & ferreis anſis plumbo compactis lapidi, utrinſecus clauſus fuerit. Locus *ſubterraneus* multo ſitu & rubigine æs & ferrum omne brevi obducit. Ac vel centum annis condita corpora quid ſui integrum ſervare poſſint, niſi mumiarum ritu curata, res loquitur.

§. 38. Idem arguit X. *Metus Abbatis* perpetuus, de corpore ablato. Hoc ſæpè tentatum eſſe, indicat Narratio p. 124. 125. 150. diu antequam Abbas exſtitit in vita mortali. Paulo ante hoc curaſſe Adminiſtratorem Archiepiſcopatûs; ac jam tunc, cùm modò quæreretur corpus, modò impediretur ejus ablatio, ignoratum eſſe locum ipſum; (vacuum enim primum & verum ſepulcrum, in conſpectu omnium erat) ac ibi, ubi ſitum putaretur, in *altari S. Crucis*, inde in ſepulcro ipſo, foramen vi factum, fores ad Conditorium ducentes, emotas N. p. 180. Triginta annis prius murum novum inter chorum & aram S. Crucis eſſe ductum, ac

ac modò, falsò licet, creditum fuiſſe, quòd corpus poſt marmor dictum; modò quòd ſub altari ſubterraneo Sacelli, quod choro ſubeſt, lateret. Abbatem, famâ ablati corporis abſterritum, iter reliqvum omiſiſſe N. p. 169. 172. ac ſupremo hoc conatu aggreſſum conventuales Marianos, qui antehac ſcripto profeſſi erant ad Senatum civitatis, quòd corpus ablatum ſit, ſpe metuque urſiſſe ut corpus ſepoſitum proderent; ſed iſtos de ſuo ipſorum facto negâſſe; famæ conſtanti de corpore ablato nil derogâſſe; N. p. 179. Nempe judicavit Abbas alios è ſuo ingenio, quo auferre corpus noctu & clanculum, ſuggerente Senatu, fruſtra conatus eſt, ut quidem Narratio p. 141. 142. explicat.

Tacemus XI. de *Fide Narratorum* aliâ, è quibus Rhoritus dicit, *Reliquias alias Abbati & Comitibus oſtenſas & integrè repoſitas.* Müllerus Notarius contra: *quasdam inde ſumtas & ablatas fuiſſe.* Sic *Abbatis fidem datam Conventualibus, intra tempus condictum præſtandi, ut Cæſarea Aſſecuratio ad ipſos veniret*, luſum faciunt fratres ac mirè placent ſibi p. 176. reſponſo Abbatis aſtuto. §. 39.

*Famæ* XII. Demum publicæ Reliquiarum *nunc demum* ablatarum, opponitur fama tam conſtans *anterioris* facti; & confeſſio Fratrum Strahovicorum de Corpore Norberti, annis aliquot ab ejus obitu, translato è Sepulcro primo. Id quod & *vacuum* reperiſſe oportet Abbatem; uti hodienum patet; &, *ſublatum corpus*, intuentibus reſpondet. §. 40.

Quanto nunc magis conſentaneum eſt; *Primò*, Abbatem nil minus quàm voti ſui reum evaſiſſe: Sed, rebus tam variè tentatis, cum verum quidem ſepulcrum (ad quod antehac nunquam admiſſus eſt, nec comites ejus præſentes) ſancti vacuum deprehenderet; ne vacuus & vanus ipſe diſcederet; tandem corporis qualescunque reliquias, ſpeciem vetuſtatis adumbrantes, corripuiſſe, ut hoc *ſimulacro* Norberti aliis ludum, ſibi pretium faceret: quo confer ejus angorem, & ſuſurros in aures Præpoſiti, p. 180. Ut Philippum Macedoniæ R. Perſei patrem Livius L. XL. refert conſcendiſſe cum uno alteroque cacumen montis Hæmi, ad conſpectum maris Adriatici, Iſtri amnis & Alpium; Digreſſus ac ſatis vexatus labore, famæ, quam hiſtoricus coarguit, nil demſit; ne Vanitatis argueretur. Ita Reliquiarios ſolennia fallere, & pro Archangeli plumis à diabolo evulſis in conſli- §. 41.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0019-5

ctu Apoc. XII, 7. aſtutè carbones Laurentianos ſupponere, vulgi fabulæ & ludibrio Chriſtiani nominis ceſſit.

§. 42. Deinde, nemini mortalium conſtare hodienum, quonam Norberti corpus ſemotum fuerit. Divinæ id providentiæ fuit, præcavere illum paucorum hominum conatum ac illuſionem Chriſtiani populi, cui quoties talibus commentis ſit impoſitum, Catholicis notius eſt, quàm ut huc repetatur. Argumento verò ſit ipſa illa *prima*, quæ dicitur, *Translatio*, & fruſtra jactata Abbatis inventio corporis in loco tam obſcuro, anguſto, ac incommodo ad eum cultum quem venditant hodiè Fratres; à quorum ingenio, animo & inſtituto longè abfuiſſe neceſſe eſt illos veteres, qui, juxta Strahovicos, Norbertum è medio gremio eccleſiæ retractum occuluiſſe altiùs ſcribuntur; nedum ut in propatulum eccleſiæ oſtentui exponerent, in hos uſus quibus fatigant ſeſe Strahofici.

§. 43. *Demum* ſi quid è Norberti Corpore ſupereſt ſub cœlo, efficax & ſalutare; id totum partim in primo quod extat ſepulcro, partim altero quod Strahovicæ violentiæ ceſſiſſe dicitur ac nunquam comparet, continebitur; in hæc duo enim reſoluta corporis totius virtus eſt per tot annos: ac ſi quid humidi deſtillavit per foramen, ſubter pectus loculi fundo ſtudio inciſum, diffluxit in molem illam ſepulcri quô hodienum potimur; forte & corpore.

§. 44. Quisquis nunc Norbertini Nominis reverentiâ ductus, adire geſtit Quietem Patris beati, ſi quis ex Ipſius reliquiis ſibi apud Deum aditum moliri, ac ſe vitæ aliquod pretium conſequi poſſe cenſet, ille vel hoc è tumulo, temploq; quod in conſpectu eſt, vel nuſpiam voto ipſius ſatis factum iri ſcito.

CAP. I.

# CAPUT I.

# DE IURE TRANSFERENDI.

## PARS II.

## E SCRIPTURAE SACRAE DICTIS.

Prædâ igitur imaginariâ potiti Fratres, mirificè deinceps blandiuntur ſibi; ac poſt Norberti *deſcripti* ἀυχήματα inutili declamatione jactata; ad Argumentum *de Transferendis Sanctorum Reliquiis* tranſeunt, & oſtendere ſtudent, quam *Juſta*, *Bona*, *Sancta cauſa transferendi fuerit.* Quod inceptum *ad quos pertineat cuive bono* ſit, ferè ambiguum evadit. *Inſcitiam* & *Malevolentiam* adverſarias ſibi deſtinant; Ac eas inter *ſuos* formidatas eſſe, paſſim apparet. Ut ut enim velut *obiter* pungant eos *quorum ſapientia & ſalus credulitate conſtet*: mox tamen negant *ſe concertaturos cum Sectariis hodiernis ſuper Veneratione Reliquiarum; multò minùs cum blattis ac blateronibus qui nunc Magdeburgi & alibi*, ob permiſſa Fratribus oſſa ſacra, *vociferentur in ſuos*. Paulo poſt tamen: *Eorum*, inquiunt, *gratiâ hic oſtenſum imus, qui nobiſcum æquè oſſa SS. & pretio & honori cum habeant*; *incertum quo affectu, minùs fortaſſe noſtrum hoc gaudium, & tam nobili theſauro Pragenſem Sionem cumulatam eſſe probant. Suos hos*, annon *Ordinis* inclyti conſortes indigitent, rectè conjicias. Id quod arguere poteſt ſuorum ἀνωνύμων *querela*, ſatis callidâ brevitate indicata: *Non debuit poſt tot ſecula turbari quies S. Corporis. Non debuit reverſuris quandoque, undè nunc averſi malè, civibus Palladium hoc ſuum, grande piorum ſolatium, pietatis incentivum, virtutis monumentum, eripi.* §. 1.

§. 2. Quid Fratres *contra? Nimis ſatagere, qui ita ſatagant.* Indè ſuum facientes onus probandi, *Scripturam*, *Eccleſiam*, *Ethnicos*, undecunque ſpes allucet, in ſubſidium cient. Enimverò qui mota Fratribus *dubia* expenderit, forte non *nimis ſatagere* contradicentes alios comperiet. Ac *probationem* totiplicem Fratrum ab ipſis ſuo magno malo ſuſceptam, ut Ἀντισυλλογισμῷ repellerent urgens adeò te-

telum, non ita liquidò vel evincere propoſitum, vel tollere dubia iſta. Hoc ut clariùs paulò appareat, *Prius* dubium plenum innocuæ & conteſtatiſſimæ Humanitatis videri poteſt cuivis *hominem ſeſe* agnoſcenti.
§. 3. *Quies* omninò eſt & deſiderata & favorabilis in mortuum, ut corpus loco ſuo adopertum ad futuram olim ἀνάςασιν, immotum relinquatur. Uti pulveris exigui jactum moribundos ſub hoſte precari, accepimus. Nec facilè extiterit ſatis ſanus qui inter præmia mortis, convulſionem funeris ſui è ſtatu quem optârat, approbet.
§. 4. Certè cùm Quies illa ſit *Sancti* & in Domino mortui; cui mors ſit vitæ pretium, & nil optabilius, quàm ut lege divinitus ſtatutâ, quæ naturæ dicitur, terrenum corpus reſolvatur, ad certum illud omen παλιγγενεσίας quo D. Paulus *I: Cor. XV.* granum corporum ſymbolum, niſi computreſcens non reviviſcere contendebat.
§. 5. *Turbatur* igitur iſta quies, & ipſa corporis ſatis caduci & οὐτιδάνου imago atrociter convellitur ac diſſipatur, quæ exemplo Oſiridis fabulam ſuperante in tot particulas prodigitur, ut nec pulviſculo parcatur, quin direpta & jactata oſtentui & ludibrio circumforaneo ſint. Extremæ fortunæ acceſſio habetur, cum malâ morte perditi anatomico cultro ſubjiciuntur. Hi tamen quantacunque ſui parte & ſpecie, remittuntur ſub illo utilis curioſitatis humanæ arbitrio terræ primigeniæ. At Sancto & fideli homini, fatum morte ſic multiplicatâ intolerabile, ab iisdem qui honorem adſtruere videri volunt, obvenire, cui id æquanimo homini probari poſſit? Nec enim pompas tam otioſas vel ſentit ipſe; vel indè fructum ullum capit, ſatis in ſuo Salvatore beatus, ac illâ unâ corporis reſtitutione in gloriæ conſortium potitus, nil fortunæ externæ vel antè vel poſthac ambiturus. Eoque jactatio, conferruminatio ſive argentea ſive aurea, oſtentatio, captivatio, venditatio, cranii, brachii, manus, digiti, ac talium, nedum dilaceratio veſtium ac ſi quæ alia reliquiarum titulo proſtant, *turbatio* audierit, Adriâ ipsâ tumultuoſior & violentior. Maximè *poſt annos plures*, imò *ſecula*, ubi nil niſi *venerabiliter meminiſſe* noſtræ religioni relictum videri poteſt. Ut rectiſſimè inferant Anti-Strahovici: *non debuit turbari quies S. Corporis.* Verſent, torqueant ſe, ringantur alteri quantumcunque libuerit, non amolientur crimen *Turbatæ quietis debitæ*, nec conſcientiam generis humani, ut nec ſuam unquam, abolebunt. In-

Inde ſi civilia Jura compares, utut captentur effugia varia, §. 6.
*Violati Sepulcri* reatus difficillimè declinabitur. Nam, ut *Norberti*
*voluntas* circa monumentum ſibi faciendum in æde hac Marianâ, *anno*
1134. *d. Narrat. c. 50.* à Fratribus Præmonſtratenſibus ritè impleta eſt,
Idque de eadem voluntate, *perpetuum*: Undè translationem ejus face-
re prohibemur, niſi *Lege Juliâ de Vi teneri* & pænarum ſtatutarum aliquâ
in ſe agi autores facti velint. Sic arduæ viciſſim & altioris indaginis
obtentus apparet, *de honore minore erga mortuum*, quo literæ Ferdi-
nandinæ & FF. Strahovici nitebantur. Ac nemini obſcurum eſſe
poteſt, ſi omninò *Translationis Jus* tractari velimus, audiri debere
*omnes quorum intereſt*, 1. Norberti oſſium defenſorem, 2. Fratres Mari-
anos; 3. inde Ordinem univerſum.

II. *Forum* quia *eccleſiaſticum*, & *Summi Pontificis eſt*, *Auguſti affatus* §. 7.
non requirentur, niſi ratione executionis, cum & alio tempore Ponti-
ficum autoritas ſuffecerit. Itaque *d. D. I. c. 37.* è Concil. Mogunt.
I. c. 51. translatio, *ſine conſilio principis, vel epiſcoporum ſanctique Synodi*
*licentiâ* prohibetur. Ac *Princeps per Gl.* eſt Papa. Sin is Rex ſit vel
Imperator, *localiter* intelligitur, ſive ubi hoc non poſſet eſſe ſine ſcan-
dalo, ſi ſine principis conſilio, & ſpecialiter eccleſiarum, quarum eſt
patronus, *ibid.* Quæ ut fallentiis omnibus ſatis vallentur, opus & la-
bor erit ad homines æquitatem & decus unum intuentes. Idque ad
*Concil. Trid. Seſſ. 25. ib. de h. r. Edit. Col. de anno 1621. p. m. 529. ib. nul-*
*lam inſolitam imaginem ponere vel ponendam curare, niſi ab Epiſcopo ap-*
*probata fuerit; nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reli-*
*quias recipiendas, niſi eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo, qui ſi-*
*mul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theo-*
*logis, & aliis piis viris, ea faciat quæ veritati & pietati conſentanea judica-*
*verit. Quod ſi aliquis dubius aut dificilis abuſus ſit extirpandus, vel omninò*
*aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat, Epiſcopus, antequam contro-*
*verſiam dirimae, Metropolitani, & comprovincialium Epiſcoporum in Con-*
*cilio provinciali ſententiam expectet: ita tamen, ut nihil, inconſulto ſan-*
*ctiſſimo Romano Pontifice, novum aut in Eccleſiâ hactenus inuſitatum decer-*
*natur.* Quæ autoritas non ſub & obrependo captari, ſed, citatis au-
ditisque omnibus quorum intereſt, de causâ, ſi ordine proponeretur,
cognoſci debuit. Eoque adducta S. D. N. Urbani Papæ VIII. Bulla
in

in fine libri *Octiduum Norb. Triumph.* dicti, *anno demum 1627.* impetrata nil ſubvenit; ſed ſupponit facti *jus*, de quo nondum quæſitum eſt.

§. 8. III. Nihil etiam horum in facto propoſito obſervatum fuit. *Norberti*, cujus unius maximè interfuit, tam *nulla ratio habita* eſt; ut contra vim ultimam immerito ſit expertus. Cui ſi *honor ſ. beneficium* à Strahovicis habitum dicitur, invito fruſtra ſtuduerunt: nec *civilis* ille procedendi modus videri ulli æquo homini poteſt. Cum vel ethnica ſimulacra deorum ingratiis hoſtilibus extrahi cepta è delubris ſuis, contra niti, ac parum cordi viſam eſſe alieni loci religionem, legamus. Ut autem *Abbas* ille toties *abſterritus* ſit, referentibus Fratribus, notum eſt, ac idoneum monitum, abſtinendi manus à mortuo. Fratres *Mariani* cum Præpoſito ſuo jus proximum, qui audirentur, habuêre. *Depoſitarii* erant corporis Norberti. Quantum fuit in ipſis, bonâ fide egerunt. Vi ultimæ conceſſum. Fruſtra crimineris, hos *hæreticos*, ac *minus reverentes erga defunctum.* Præ ſe tulerunt *titulum Ordinis* & *inſtitutum*, uti perpetua profeſſio in medio Lutheraniſmo docet, *Præpoſitos* ſeſe prædicaſſe *Ordinis Præmonſtratenſis*. Quapropter & Strahovici illos Fratres variè exagitant, quod Jura Cœnobii ſalva relinqui poſtulârint. In quod *Fidem* dedit Abbas, ac *intra dies viginti & unum Aſſecurationem Cæſaream* (vanè licet) pollicitus eſt. Certè agi in ipſos debuit ante, quo jure id facerent; quàm ut obtentu criminis indiſcuſſi, attentarentur tam atrocia. Cum & nil minus quàm hoc ab Abbate propoſitum ſit nomine Catholicorum; *mutare religionem an amittere Norbertum mallent.* Id quod oportere fieri expectarive, Strahovicorum Adverſarii inter catholicos, apertè ſatis ſuggeſſerunt.

§. 9. Ut & Ferdinandinæ ſyſtaticæ nil cauſantur, niſi *Norbertum heic ſitum ſine magno*, ut *Cæſar arbitretur, honore.* At *honorem majorem an Norbertus exegerit*, nondum liquebat. A Fratribus coætâneis nil ultra præſtitum legitur. Imò *anno 1628. catholicus* præpoſitus locum hunc obtinuit, ac ſucceſſorem Ordinis Norberti *anno 1630.* reliquit. Ac niſi famâ de prælio Lipſienſi territi, profugiſſent ipſe & fratres, ac cœnobium hoc *pro derelicto* habuiſſent, totis enim 12. armis manſit ſine capite, hodienum fortè obtinerent. Uti ſecutæ Pacificationes variè oſtenderunt. Nemo quidem à tanto tempore, *Ordinis* nomine, vel ante, vel per Pacis publicæ tractationem, vel poſtea tale quid pu-

publicè aut privatim poſtulavit. Licet conſtaret quàm ſollicitè prenſaretur cœnobium hoc à Magdeburgicâ civitate; quantoque opere aſſereretur ſtatui ſuo aliundè. Accedit *Archi-Epiſcopi Principis* iterata, Fratribus indicibus, ac publica *interceſſio*, quem civium ſuorum obſequium, non extrema in alienam eccleſiam & fines violentia excipere debuit. Cæſaris quidem mandata modum admiſerunt.

Nec ullam ſpeciem habet ſi obvertas, quòd 1. Abbas ipſique §. 10.
ſint *de Ordine*. Ergone par fuit, Ordinis ſui *parenti* tam inſignitam injuriam facere nec potiùs defendere; nedum præjudicare Ordini *toti*, particulam tanto corpori? 2. Quòd *Cæſar* cauſam hanc *probaverit* & juverit. Voluntas enim Cæſaris quænam, ut *judicis*, heic ſit, res loquitur: nec *reſcripta* ſub & obreptitia exaudienda ſunt: quæ ut jampridem Queſtembergius captârit apud Rudolphum Imp. II. ut poſtmodum aucupio huic intenderit, Narratio *p. 124.* docet. Si verò 3. ingeratur, *deſeruiſſe Præpoſitum* cum ſuis *cauſam*, quòd nihil ex adverſo docuerint & deprecati ſint apud Cæſarem, ne tale quid fieret; & falſo, & ſine ſpecie probabili hoc objicitur. Pro jure nihil; ſed armatas ducum preces, minas, & vim manifeſtam Senatus gratiam vanam de alieno ſpolio aucupati, Sionæi perpetuò prædicant. Principis & Epiſcopi interceſſio per proprios deputatos apud Senatum, cujus vis timebatur, intervenit, at parum profecit. Marianorum nota eſt *contradictio*, & *deprecatio* ad Senatum; Etiam Præpoſiti *abſentia*, agnita in Narratione; quo non *legitimè* interpellato, omnis 4. *fratrum* (qui nec in leviſſimis, ſine ipſo, & inconſulto Epiſcopo, quidpiam ſe poſſe profitebantur,) *conſenſus*, maximè vi metuque extortus, eſt inanis, ut his armato milite Senatus iniquum ſatellitium & executionem planè hoſtilem præſtantis (ſi quid Sionæis creditur) ſubitò oppreſſis.

Demum quicquid Cæſar & noſtri fecerint aut omiſerint, ipſi *Norberto nil potuit præjudicari*.

Quòd ſi æquam cenſent Strahovici ac pollicentur *reſtitutionem* §. 11.
*erepti*, cum noſtri *catholici* evaſerint; Illis igitur jam tunc reddi oportuit, cum *anno 1628.* cœnobium catholicis ceſſit. Quo non facto, quâ pietate per illud ipſum tempus captiva oſſa intra cataſtam novam, hominibus propoſuerint, judicet Chriſtiana æquitas. Adeò ut

*Ratibabitio Papæ*, ſi impetretur, cauſam non poſſit facere meliorem; eò quòd ante reſtitutio in judicium venire & præſtari debeat, quàm ut de licentiâ Translationis apud Superiores agatur.

§. 12. Si excipiatur: interpretem voluntatis defuncti eſſe ſtatum cœnobii Mariani, pro tempore hæreſeos labe infecti: Ita autoritatem Romani Pontificis, cui Norbertus ut obediens Eccleſiæ F. quàm vivus tam mortuus lætanter conceſſerit. Vanum tamen effugium per dicta intelligitur. Oſſibus Prophetæ, de pœnis & reformatione Iſraëlis præſagi, pepercit autor prædictus Rex Joſias, licet ille ob ſuam culpam compoſitus eſſet extra patrium ſepulcrum 1. *reg.* 13. 2. *reg. c.* 23, 17. Si maximè honor minor quàm pro ſtudio moderno Strahovienſium, Norberti ſepulcro ſit habitus; Prophetæ illius fortuna compar erat. At valeat pro Norberto Joſianum (utinam & Ferdinandinum) illud: *Dimitte eum, nemo commoveat oſſa ejus.* Ne deteriores ſimus Scythis, qui hoſtem Perſam ſe fugere indicant eo usque, dum *ad ſepulcra majorum* ventum ſit; ac modernis Indiæ populis, qui *pro captis Diis ſuis* ab hoſte bellum ἄσπονδον gerunt, & oſſa ſuorum chaſidim ad apothecam ſolennem congeſta nil minus quàm diſtrahi moverique ſinunt.

§. 13. Otioſus igitur reliquus omnis labor eſt Fratrum, qui, velut *è Loco Parium & Similium* opem petituri, compilant *facta aliena*, è S. Scripturâ, Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ & Ratione communi. Quæ ſingulatim & universè ſpectata, ac utcunque vera, nil tamen *inferunt* ad fidem ejus de quo jam, ut *Jure facto*, contenditur. Universa enim illa nec poſſe nec debere tollere jus tertii in facto præſenti, conſentaneum eſt: ut à facto ad factum, ſine autoritate infallibili tollentis jus tertii, nunquam ſobriè diſputatur. Hinc obiter ſolùm, & ſtudio *juvandi* ingenuo, ac ut omnis *prætextus injuriæ* detrahatur, exempla dictaque collecta *in parte* perluſtrabimus, ut de reliquorum uſu judicium poſſit fieri. Ubi in limine ipſo vindex ſui *Scriptura* caſtigat homines divinæ veritatis non minus quàm juris humani incurioſos. Hi enim, ut dictos *p.* 59. *blattas & blatterones*, quos per contumeliam vocant, laceſſant, ipſos, *ne ſi tacuerint, ſapere videantur, ſtultos* injurioſè appellant, loco *è Prov. c.* 17, 28. miſerè contorto. Dixerat autem Salomo de *conſilio tacendi*, ſolemni prudentibus hominibus, ac etiam imprudentibus utili. At fratres, dum dicunt *blatterones illos vociferari*, tamen eosdem *tacere* nolunt; & verba Sapien-

pientis malè accipiunt;ſive enim *ſpoliati tacuerint*, poenam Strahovici dictant, *opinionem ſtultitiæ*; contrariam judicio Salomonis: ſive *loquantur*, loquelæ periculum eſt, *opinio vilitatis*, utpote quos adeò deſpicari videri volunt,ut nec dicta ipſorum dignentur ullâ reſponſione; ac nihilominus declamitant otioſè in ipſos,& hoc per ſaturam rancidæ mercis eorum quæ pro Reliquiarum cultu & translatione vulgò venditantur. Urere enim ſentias crimen *Idolomaniæ* impactum, cujus ipſi Fratres ἐργοδιῶκται, Magdeburgicus Senatus *adjutores*, *cooperarii* tunc vocati ſint *p. 60.* Unde Marianos ſimilesque ut nimium *læſa capita, diſcere* jubent, *quid idolomania ſit?* à quâ ſeſe *abeſſe*, variâ cauſatione cultus ſui erga reliquias contendunt. At *didiciſſe* alteros hoc ipſum, ac *capita mortuorum* caſſa tàm miſerè lædi, diripi & truncari carnificinâ novâ non poſſe, vel indè elucet: ſi, ut conceſſum utrinſecus,è Grammaticâ & uſu loquendi in Canonicâ ſcripturâ,in originariis linguis ac ratione communi,de *Cultu Dei, Angelorum & Sanctorum hominum*, præſupponatur: Quòd *Cultus* I. dicitur 1.vel *religioſus* vel *civilis*; nec *tertium* vel in Sacris, vel in probatis autoribus datur. Ac idem notant verba λατρεύειν, δουλεύειν in Sacris pro ſubſtratâ hac materiâ. Auguſtinus quidem diſtinxit *de Civ. D. paſſim* λατρείας à δουλείᾳ, ſed minimè ſenſu Strahovico. Vid. *Lib. X. c. 1. ibid. Vives & Coq.* Græcia quoque *vetus* ignorat diſcrimen illud; nedum Grammaticos *novos* cum ſuâ illâ δουλείᾳ, ὑπερδουλείᾳ, λατρείᾳ. Perinde cum captant voces, *Veneratio*, *Adoratio*, *Honor*, *Invocatio*, *Interceſſio*. Vid. *Concil. Trid. Seſſ. 25. de Invoc. SS.* ac contortiplicant diſtinctiones *latriæ & duliæ, ut ſic, abſolutè, ſecundum quid, analogicè, reductivè, relativè talis*. Vid. Bellarm, *de Imag. S S. l. 2. c. 25.* §. 14.

Ut 2. hæc nomina vel religioſum vel civilem cultum notent, facit *Objectum* cui tribuuntur: id enim ſi *Deus* eſt, *religioſè*; ſi *creatura eaque intelligens, civiliter coli dicitur*. *Deus* eſſe videtur id, cujus perfectio infinita ac divina eſt; *homo*, cujus perfectio creata ac finita. Et ipſæ *dotes* hominum divinitùs conceſſæ, cum (barbarè loquendo) terminentur & ſubjectentur in *homine*, *humanum* quidpiam ſunt; eoque *cultus* eâ cauſâ tributus *tali* homini, non niſi *humanus*, *civilis* erit, & ſalutabitur. §. 15.

§. 16. Undè 3. cum certus, congruus & acceptus *Deum colendi & propitiandi modus* non, niſi *Deo* duce, innoteſcat, *Idololatria* videbitur cultus quilibet, ſine *certo Dei verbo*, vel *objecto non-Deo, ut Deo*, tributus; vel *modo non divinitùs revelato*, nedum prohibito divinitùs, exercitus. In quam rem ipſos *Catholicos* arceſſere teſtes, otioſum ſit. Videbitur, ſi quid Strahovici improbare ſtuduerint.

§. 17. II. Autoritates *humanas* Doctorum, nedum Ethnicorum, ac *Exempla* talia, non ultra quàm S. Scriptura *Canonica* fert, licebit admittere. Legibus enim judicandum eſt, & repetendum animo illud: *non faciat quisque quod ipſi videtur rectum in oculis ſuis, ſed quod tibi præcipio, hoc facies, nec addes quicquam, nec minues.*

§. 18. Sic III. *De ſanctis* heic agitur jamdum *demortuis*. Et horum *Reliquias* dici admittimus membra corporea, veſtes, & quicquid ab his contactum & uſu temporario ipſorum quodammodò factum videtur; quo & inſtrumenta ſeparata & inanima Paſſionum pertinent.

§. 19. IV. Corpora mortuorum ut fidelium ipſa, *honeſtè condi* debere velut in gremio & ſinu Domini, & aſſervari, argumento dictorum Scripturæ plurium. Conf. Auguſtin. *de C. D. L. 1. c. 13.* ibid. Viv. & Coq. qui id totum *ob fidem reſurrectionis* curatum vult; alia vitæ inſtrumenta & ornamenta, *memoriæ gratiâ*, licitè *ſervari* poſſe. Conf. Chemnitius noſter *Concil. Trid. Exam. P. IV. d. h. l. init.* Alia ἐκβατικὰ Fratrum neſcit Scriptura S.

§. 20. V. In quorum verò Reverentiâ & inter Catholicos praxi, non attenditur, nec intelligitur ab imperito populo *ſubtilitas illa diſtinctionum cultus* ſupra indicatarum; ſed conſenſus eſt, quòd cultus ſeu adoratio *religioſa* per omnes ſpecies devotionis cedat Reliquiis talismodi. Conf. Bellarm. *cit. loc.*

§. 21. His bonâ cum veniâ Quiritium noſtrorum acceptis, cognoſcemus ordine *rationes* fratrum Sionicorum. Nempe I. Quisquis oſſa amicorum Dei non peſſum dat, non urit, non ſpargit in flumina, ventos, is non eſt idololatra. Fratres Sionici tale quid non perpetrant (quo de non eſt ut exclament: *contremiſce cœlum, dehiſce terra!*) E. ipſi non ſunt idololatræ.

Reſp. Argumentum Strahovicum *è puris negantibus* eſt. Si corrigitur, inde committitur *ignorantia elenchi* incuſata antea, nempe

quo

quo jure id in Norbertum & quorum intereſt, attentaverint. Cauſſatio verò iſta pertinet ad aliud caput de *Uſu* Translationis. De *abolitione* talium corporum dicitur id quod *Hypoth.* I. *n.* 3. & *hypoth.* IV. præcautum eſt & à Catholicis *ad* 2. *reg.* 18, 4. ultrò conceſſum. Ubi ubi enim *abuſus Deo exoſus* obrepit, rei talis *remotio*, divinitùs imperata, eſt procuranda. De *modo curæ* judicandum è circumſtantiis loci & hominum, pro eo ac prudentia Chriſtiana præſcribit. Inter *Magdeburgicos* illos quidem non comperitur vel *animus* vel *factum exurendi ac diſſipandi temerè corpora piè mortuorum*; undè ſi quis ad illos talia occlamet, audiet Echo: *erubeſce mendacium! obmuteſce calumnia!*

II. Quisquis veneratur 1. corpora habitata *Rom.* 8, 9. & 2. habitanda à Deo *Apoc.* 21, 3. ſedes ſapientiæ *Job.* 14, 30. 4. templa Spiritus S. *1. Cor.* 6, 19. 5. eorum quos Deus glorificat *1. Sam.* 2, 30. 6. Pater honorificat *Joh.* 12, 26. 7. quibus dat Filius Dei ſedere ſecum in throno ſuo *Apoc.* 3, 11. 8. ad quorum pedes Chriſtus venire & inclinari ut adorent, faciet illos de Synagoga *Apoc.* 3, 9. 9. qui à Deo nimium honorificati ſunt *Pſ.* 139, 17. 10. ut ſimiles fiant laudato à Pſalmiſtâ, glorificanti timentes dominum *Pſ.* 15, 4. 11. cuiglorioſum eſt, uti ſepulchrum Domini, ita & cujuscunque amicorum Dei *Eſa.* 11, 10. 12. quæ in pace ſepulta prophetare non deſinunt *Syrac.* 44, 14. *c.* 48, 14. 13. Sunt oſſa quæ Dominus cuſtodit, ſic ut unum ex eis non conteratur *Pſ.* 34, 21. & pullulant de loco ſuo *Syr.* 46, 14. *c.* 49, 12. 14. ſuper & propter quorum ſepulturam panem noſtrum & vinum offerimus *Tob.* 2, 18. 15. quorum, ut operantium bonum, eſt gloria & honor *Rom.* 2, 10. *1. Petr.* 2, 7. quos amamus, amare debemus, amantes Dei & noſtri in Deo, amatos Deo; ut habeamus nobiſcum ipſos quantos habere licet, 16. quorumque converſationis in vitâ alterâ pignus & initium aliquod ita capimus. Ille non eſt idololatra, Sed, ut operans bonum & credens, gloriam & honorem meretur. Aſt Fratres Strahovici ſic venerantur reliquias, imprimis Norbertinas. Ergo! §. 22.

Hæc verò arenaria catena quàm fragilis eſt? Toti quidem Scripturarii videri volunt Strahovici. Utinam eſſent! Indicatum meminerimus, quænam *cultus talis norma* & *menſura* ſit, inter concedenda utrobique *n.* 1, 2. Illâ integrâ relictâ, ut meritò confidimus, quid læti §. 23.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0029-1

quæſo provenerit Fratribus his è locis Scripturæ tam malè acceptis? Nam I. *Locus Rom. 8, 9.* reſpicit ad ambulandi officium ſecundum Spiritum *v. 1.* Quid ita vero? *in Spiritu ſumus, Spiritus Dei habitat in nobis.* Legite, fratres, totum caput, & imitamini. Craſſiuſculus videbitur, qui ſic argumentabitur: In quocunque Deus eſt, eritque, ut in templo ſuo, ceu ſede divinæ ſapientiæ, id venerandum adorandum eſt. Nam in Veſtrum unoquovis eſt eritque Deus, ac modo tali (ſi ſeſe ſatis agnoſcunt.) E. Veſtrum quivis à vobis ipſis venerandus eſt. Sic verè quisque ſibi Deus, ſuum ipſius idolum erit.

§. 24. Nempe τὸ *ineſſe*, ut *modo* ineſſendi, ita *finibus*, multùm variat: & ab hoc, ad *prædicandi* modum congruum (non quemlibet de quolibet) rectè contenditur. Ut autem alioquin *finis ineſſendi* præcipuè ſpectari debet, quem is, qui *ineſſe alicui* dicitur, eamque *facultatem* habet ac exercet, ipſe ſibi *propoſuit talis modi facto ineſſentiæ*: Sic & indè conſequitur, quòd non *quavis* Dei præſentia in homine, & æſtimium ejus, cui *aliquo modo ineſſe* dicitur Deus, faciat tam venerabilem. Sed *voluntas Dei expreſſa* debet accedere, quidnam ipſe velit tributum ſuo illi hoſpitio? Ut ſi *in Chriſto tota plenitudo divinitatis habitat σωματικῶς*, & tanquam in proprio ſuo templo: præſentia illa divinitatis non *gratioſa* ſolùm, ſed & *eſſentialis ac unitiva* cum humanitate inhabitatâ, cognoſcitur. Et hinc *mandatum*, ejusque *ratio* intelligitur, ut hunc *Θεάνθρωπον adorent angeli Dei omnes Ebr. 1.* ut *omne genu flectatur in nomine ipſius Phil, 2.* Producite, Fratres, exemplum *compar* Dei *ſic* inhabitantis, vel *ſic* inhabitaturi; & exprimite *mandatum* cultus erga inhabitatum quale de Chriſto *θεανθρώπῳ* in promptu eſt, tum rectè concluſeritis.

§. 25. Par 2. abuſus loci *Apoc, 21, 3.* qui è *Levit, 26, 11 & Eſa. c. 65, 17. c. 69, 22.* ac pluribus dictis V. T. pendet, quibus Deus deſcribit felicitatem perfectam piorum. Præſentia enim Dei talis & removet omne malum; & bonum perfectè ſummum infert, ut *v, 4,* additur: *abſterget Deus omnem lachrymam.* Ac ipſa hæc conjunctio *v. 3.* diſtincta ſervat, *Deum*, & *Dei habitaculum*; *Deum*, & *Populum Dei*; cui *ſoli* ab *hoc* populo, tanto plenior, clarior, conſtantior cultus tribui debeat, quanto intimior. Undè & Angelus, dux Apoſtoli *c. 22, 8.* ſupplicem ſibi Johannem hunc increpat; nam ſaltem *conſervum* ſeſe *ipſius & fratrum*

*ejus*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0030-2

*ejus prophetarum & eorum qui ſervent verba Prophetiæ libri hujus*, prædicat: *Deum*, Deum ſolum *debere adorari*, monens. Erat ſanè Deus etiam *in angelo hoc*. Manuductio ipſius tam fidelis, in medium abyſſum mirabilium Dei conſiliorum, videbatur adhortari ad officium tale. Sed angelus id genus totum abhorret, velut impium & ſibi intolerabile. Quis igitur, ô Sionici, auſuros tanta in oſſa Norberti, longè meliora meriti, jam caſſa ſpiritu, ſatis ſanos exiſtere credat, quis præfidenter auſos non abhorruerit?

*Tertius locus Joh. c. 14. v.* non 13. ſed 23. promittit *inhabitationem* §. 26.
*Dei trinunius*. Eccui bono? an ad nos adorandos invicem? & exuvias ipſas mortalitatis noſtræ tam miſeræ? Quæſo, quonam ſolatio in ſenſu præſentium & inſtantium adverſitatum? Et an propoſitâ à Deo fiduciâ è cultu ſui ſerio, ut *Levit. 26, 12. Jerem. 7, 7.* ſimul per reverentiam officii noſtri quod præſtatur hoſpiti tanto, Paulo interprete *1. Cor. 3, 16. & 2. Corinth. 6, 16.* Conferte ſitis Auguſtin. *T. 3. de Trinit. l. 1. c. 9. & T. 10. Serm. 198. Serm. 175.* ac an ulli Patrum, lectorive cordato talis detorſio venerit in mentem? rectiùs examinate. Niſi nubes cœli pari honore & fluctus marinos affici velitis, & maximè aërem ipſum quem ſancti traxerunt, & illo imbuerunt ſphæram (quam Jovis & deorum plenam ethnici luſcitioſi dictitabant); quo velut Animâ Solis & Lunæ impregnatam dicetis regionem hanc imam aëris, & ita Junonem nobis reducem ad publicum cultum proponetis.

Par ratio eſt *Loci Quarti 1. Cor. 6, 19.* Contra libidinem Veneream §. 27.
*v. 13.* Apoſtolus ibi urget hoc argumentum caſtitatis, ut maximum *v. eod.* quo ſummam ſententiæ: *corpus Domino*, & *Dominus corpori*; clarè & graviter explicat *v. 14. & ſeqq.* Membra noſtra ſunt *templum*, idque *Spiritus S.* Eadem non ſunt *noſtra*, ſed *Dei*, qui ipſa redemit ſangvine ſuo, ad vitam ſanctam. Quæ nunc ſit abſurditas, hinc tendendi ad *adorationem* hominis: ejusque defuncti exuviarum planè cinerearum? Adeonè blennis & bliteis ſcribi talia, ac nil interfore putatis *Dei*, cujus *Verbum* tam protervè pervertitur? nec graviora mereri videbimini elogia iis, quibus Magdeburgicos, ut blattas & blaterones, ſalutabatis.

*Quintus Locus 1. Sam. 2. v* non 3. ſed *30.* perindè ἀπροσδιόνυσος §. 28.
eſt. Deus per Prophetam Eliæ exprobrat beneficia ſua, honoris præroga-

rogativam in ſacris Num. 17. ut Jacobus *Gen. 49, 2.* primogenito eam tribuebat, & fercula opima ſacrificiorum. Quod cum Eli non curaret dignè, undè nam & cur tanta bona obtigiſſent hactenus ſibi ſuisque; ſed ad ſcelera filiorum, Phineâ vindice digna, *Num. 25.* conniveret *c. 3, 13.* id quod paternæ caſtigationis mollities indicat *c. 2, 23.* Sicque *filios pluris faciebat quàm Deum*; meritus igitur eſt cui Deus, contrapoſitu honoris priſtini & imminentis dedecoris in familiâ, de quo legite *1. Reg. 2, 27.* redderet vicem. Quæ verò hæc conſequentia eſt: Deus glorificat eos, qui ipſum honorant in ſuis per officium commiſſum; & hosdem glorificat dignitate externâ coram hominibus, qualis v. g. eſt Sacerdotium ſummum apud Iſraëlitas. E. Norbertus, ac tales à Deo conſtituti ſunt adorabiles poſt mortem, ob cultum Dei ſeriò exercitum? Quæſtio enim & reſponſio ibi erat de *ſtatu externo in hac vitâ* ejusque *merito* in alterutrum. An verò ſacerdotes Iſraëlitici adorabantur à populo, idque religiosè? aut eorum oſſa, & veſtimenta poſt obitum? ubinam Scriptura S. talia prodit?

§. 29. Imò vero, proclamant Fratres, *Quintus Locus Jo. 12, 26.* diſertè pollicetur, eum qui miniſtrat Chriſto, *honoratum iri à Deo Patre.* At per Norberti cranium vos obteſtor, hæccine eſt veſtra Scripturæ interpretatio? ut *honorificare* ſit idem quod *adorandas exuvias mortui proponere?* Itane lubet à *genere ad ſpeciem*, à *ſpecie* honoris *ad ſpeciem* aliam argumentari, quæ ipſa non præſumitur ob *repugnantiam prædicatorum*, nec legitur uſpiam; ſed diſertè prohibetur? Salvator ſuo agoni propinquus & facturus animos diſcipulis ſuis contra imminentem ſui contemtum extremum, ſollicitat primò Patrem ut ſeſe, quamvis verſatum adhuc in ſtatu exinanitionis, jam clarificet ſigno externo *v. 23.* tanquam omine quodam fortunæ ſuæ in melius ituræ. Id interpretatur diſcipulis, partim expolitione allegoriæ ſumtæ à *grano condito*, quomodo enim hoc refloreat lætiùs, *v. 25, 26.* ſic pereundum eſſe ſuis amatoribus ut vivant; ac ſervis ſuis fidelibus redditum iri non ab hominibus ſed à Deo, ut contemtus mundi cedat in gloriam coram Deo; ut Chriſto ipſi ſua humiliatio præſtitit nomen ſuper omne nomen *Phil. 2.* Competet autem fidelibus & Sanctis tam *nova vita*, quàm *ſplendor vitæ novus*, quantus, pro exigentiâ & modo talis creaturæ, cadit in ipſos: non verò is qui *Deo ſoli* & debetur, & poteſt capi.

Ipſe

Ipſe tamen, ajunt Fratres, victor ille Chriſtus, *Sexto Loco*, *Apoc.* §. 30.
*3, 21.* pollicetur athletis perſeverantibus: *ſeſſuros ipſos ſecum in throno ſuo*: quæ Adſeſſura præſtat, conſortium aliquod divinæ excellentiæ & religionis. Verùm ipſi Catholici Commentatores eo usque non prorumpunt. Cornelius à Lapide vult promitti *brabéum regni cœleſtis*, & corrigit Alcaſarum qui *dominium tentationum in hac vitâ & pacem Spiritualem* promitti intellexerat. Communior opinio eſt *de throno judicii* in quo beati ſint ſeſſuri cum Chriſto, juxta Haymonem. Is gradus ſummus erit præmii, quod partitim dictum eſt, *primò* recuperatio paradiſi; *deindè* communitas à morte ſecundâ; *tertiò* cibus angelicus, honor novus, & nomen ignotum aliis: *quartò* regia poteſtas; *quintò* triumphus, vita, elogium coram Deo; *Sextò*, jus civitatis divinæ, *Ultimum* eſt Societas throni, ad *Matth. 19, 28. Luc. 22, 30.* Hæc ipſis *reverà* competitura eſſe prædicitur, in phraſi illâ comparativâ, & *ſimilis* fore, ut τὸ כ Ebraicum ſæpè accipitur; non *æqualitas* ulla aſſeritur, quæ plures θεανθρώπους habeat oportet, ſi *par* planè dignitas eorum, qui throni conſortes ſint futuri, heic promittitur, per *Phil. 3, 31. Joh. 5, 27.* ad *Eſa. 42, 8. Dan. 7, 14. Pſalm. 110, 2. Ebr. 1, 5, 13.* *Seſſio* igitur hæc eſt participatio poteſtatis in hoſtes priſtinos, attemperata menſuræ aſſidentium. Uti iidem *eminent thronis circumpoſitis*; procidunt tamen & adorant viventem in æternum, coronis ad pedes illius depoſitis *Apoc. 4, 9, 10. c. 5, 12. c. 7, 11. c. 11, 16. c. 1, 2, 11. 3, 4.* Ite nunc, Fratres, & diſpicite, ecquis in Sione obtinuerit, ut oſſa ejus & laciniæ adorarentur in terris à militante Eccleſiâ?

Noſtri viciſſim *Septimo loco*: *Datum iri Judæos qui procidant &* §. 31.
*adorent ad pedes piorum Philadelphienſium Apoc. 3, 9.* Vah, isne Rhodus & abyſſus eſt, ubi à vivis ad mortuos tranſilitur? Chriſtus quidem h. l. agit de eccleſiâ *militante* hominum adhuc viventium & deſcribit *ſucceſſum illius* in mediâ perſecutione temporum iſtorum, & impetum hæreſium: nempè *Converſione* Judæorum ad verum Meſſiam propoſitum in hac eccleſiâ, cui fiant ſupplices ii, qui & quatenus convertuntur; uti hoc nomen προσκύνησις adhibetur & accipitur *1. Cor. 14, 25.* Add. Tertull. *de Pœnit. c. 10.* Planè ad præſagium *Eſaiæ c. 60, 14. c. 45, 14. c. 49, 7, 23.* Hanc viciſſitudinem eccleſia *per ſe* non

D præ-

præſtat, ſed rector ille animorum *Joh. 6, 44. Matth. 11, 26. 1. Cor. 12, 3.* Sin velis accipi hoc verbum de adoratione *civili*, juxta locutiones V. T. is erit honor ſolùm *externus, Synecd. Partis*, & *Metonym. Signi*, nec quicquam conferet ad *religionis exuvialis* probationem neceſſariam. Ineatur ratio & excutiantur ſinus omnes, nil aliud excutietur ad palatum pruriens pulpam cadaveroſam.

§. 32. Digna quoque eſt flagello ſcholaſtico negligentia Fratrum in S. Scripturis allegandis, cum *Octavo loco Pſalm. 139, 17.* Vulgatam ſecuti, tam aliena verba & mentem falſam faciunt ſuam. In Ebræo eſt: וְלִי מַה־יָּקְרוּ רֵעֶיךָ אֵל מֶה עָצְמוּ רָאשֵׁיהֶם Quod vertit B. Arias Montanus, Vatablus, Regia Biblia & quis non? *Et mihi quàm pretioſæ fuerunt cogitationes tuæ, Deus? quàm invaluerunt capita earum?* Et quantum congruat hæc verſio contextui, quidve notent *capita invalentia*, hoc docet *v. 18. dinumerabo eas* (cogitationes) *& pro arenâ multiplicabuntur.* Sicut enim Pſalmus totus *admiratione Dei providi & omniſcii* conſtat; Ita Pſalmiſta, congerie mirandorum plurium, profitetur, ſeſe iis enumerandis imparem. Id quod & D. Paulus facit *Rom. c. 11. in fine.* Undè verò *Amici* illi Fratrum & *principatus confortatus* prodeunt? quave ſobriâ ſententiâ intrudentur contextui? Et quænam religio erga reliquias funerum hinc elicietur, niſi forte hæc ſedes ſit *præſidum mundi* Sanctorum, è quibus Eliſa fabris, Blaſius carminatoribus, Lucia Sartoribus, S. Norbertus cum Collegis novis, Bohemiæ præſit hodienum?

§. 33. Pari judicio *Nonus Locus* è *Pſ. 15, 4.* adducitur: אֶת־יִרְאֵי יְהוָה יְכַבֵּד *timentes Dominum honore afficiet.* Ecquis *cultor* ille *Domini*? homo pius, cui una cura ineſt & æſtimium ſui ſimilium piorum; ut viciſſim viles eidem videntur improbi, eoque negliguntur ab ipſo. Quàm facilis hinc ad oſſa tranſitus erit?

Simili ingenio *Decimus Locus Eſa. 11, 11.* cenſeri poteſt: וְהָיְתָה מְנֻחָתוֹ כָּבוֹד׃ *Et erit quies ipſius gloria*; ut Arias Montanus vertit. Tò מְנֻחָה quibusdam interpretibus *ſepulchrum* notat, *Meton. continentis*; Uti Ebræi mortem piorum מנוחה appellare amant. Vid. Buxtorf. *Lex. Thalmud. in* נוח. Et prædicitur, quòd Chriſto *in ſuâ morte* demum gloria plena ſit obventura, (id enim ipſis eſt

h. l.

h. l. כבוד ) quæ regibus aliis in morte ſolet deperire. Probatior tamen eſt explicatio altera, quòd h. l. מנוחתו ſit *Quies* ſ. *Reſidentia* Regis iſtius in ſuo populo, ſ. Eccleſia, quæ ipſa κατ' ἐξοχὴν eſt *gloria* ipſa: eoque & Apoſtolus vocat eccleſiam in terris collectam, *glorioſam*. Ratio explicandi ſatis idonea apparet, quia totus ſermo eſt de *Vocatione gentium*, & regno Chriſti in Eccleſiâ militante; in quâ regis *dotes*, inde *gubernatio*, mox conſequens *ſtatus quietus*, ac nova *acceſſio gentium*, ac *regia* Principis noſtri inter hos, ut perquam ſplendida, deſcribuntur. Ut enim *v. 2.* רוח יהוה *Spiritus Domini* נחה עליו *quieſcit ſuper ipſo*: ſic ejus *Quies*, non tumultus, nec illa obſcura, ſed *gloria ipſa*, ut *Joh. 1*, *14.* prædicatur. Conf. Cyrill. *b.* Utrumcunque elegerint Fratres, nullam habent rationem hinc argutandi: Chriſti quies ſ. ſepulchrum eſt glorioſum. E. fidelium in Chriſto mortuorum ſepulchra, & corpora in ipſis condita, religioſè colenda ſunt. Nec enim vel *gloria illa* id ſignificat de quo quæritur h. l. vel apta conſequentia eſt à *tali* gloriâ Chriſti (qualis h. l. licet malè, ſupponitur) ad honorem *æqualem* Sanctorum.

Otioſè etiam *Undecimus Locus* è *Syrac. c. 44, 14.* libro Apocrypho, citatur. Quid enim colligitur inde: Norberti &c. corpora ſunt ſepulta *in pace*. Ergò habenda *in pretio*. Et in quantonam? *ut refoſſa colantur religioſè?* Imò hoc ſequitur *v. 15. nomen eorum permanet*: *ſapientia eorum celebrabitur, & laus eorum in populo &c.* §. 34.

Nec minus inſignis incuriæ eſt *Duodecima* allegatio è *Syrac. c. 48, 14.* cui jungatur *c. 46, 23.* collato *l. 2. Samuel. c. 27.* Ut enim de *Syracide* tanquam *apocrypho* autore, Dd. Catholici nobiliſſimi concedunt, eum non haberi in Canone Ebræo D. Thomas *P. 1. q. 89. a. 8.* (qui quàm dubitanter diſſerat h. l. conferri poteſt) & relinqui in dubio, Perer. *de Mag. l. 1. c 2. p. 59.* uti vel idem hic locus ejus autoritatem tollit: Sic Eliſæo mortuo nil honoris Strahovici adſtructum à Judæis, quamvis non minus pronis ad ſuperſtitionem, legitur. Miraculum ipſum, nullo aucupante, contigiſſe *2. Reg. 13, 21.* legimus, ut pignus prædictæ à Propheta victoriæ de Syris *v. 25.* At Pythonici Samuelis tragœdiæ recocta à Fratribus explicatio, ut impia incidit in *Cenſuram Eccleſiæ*, Allatio indice, *Syntagm. de Engaſtrimyth. c. 21.* editam *C. 26. Qu. V. cap. 14. Nec mirum. §. Præterea quidam. Præterea quidam* (no- §. 35.

ſtri Fratres Strahovico Sionæi) *quærendum putant, quomodò Scriptura narrat Pythoniſſam, Samuelem Prophetam ſuſcitâſſe ad colloquium Saul impiiſſimi regis, ſi Pythonica Divinatio errori magicæ artis deputanda ſit? Quibus ita reſponderi poteſt: Indignum omninò facinus eſſe,* ſi ſecundum verba hiſtoriæ *commodetur adſenſus. Quomodò enim fieri poterat, ut arte Magicâ attraheretur vir & nativitate ſanctus, & vitæ operibus juſtus? aut, ſi non attractus eſt, conſenſit? Quod utrumque de juſto credere, adverſum eſt. Si enim invitus adductus eſt, nullum ſuffragium habet juſtitia: ſi autem voluntarius, amiſit meritum ſpirituale, quod valdè abſurdum eſt; quia qui hinc juſtus recedit, permanet juſtus. Porrò autem hoc eſt præſtigium Satanæ quo, ut plurimos fallat, etiam bonos in poteſtate ſe habere confingit. Quod Apoſtolus inter cætera oſtendit, dicens:* Ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis. *Ut enim errorem faceret, in quo glorificaretur, in habitu viri juſti & nomine ſe ſubornavit, ut nihil proficere ſpem, quam prædicabant Dei cultores, mentiretur, quandò hinc exeuntes juſtos finxit in ſuâ eſſe poteſtate &c.* Hem, Fratres optimi, ſolvite *Decretum Gratiani.* Vobis quidem ille *in ſequentibus*, quæ tædio non adſcribimus, ad omnia præclarè reſpondit: ut mirandæ ſit oſcitantiæ, Vos jus, in quo verſamini, ignorare. Sin noveratis, & reprobâſtis ſententiâ contrariâ, igitur Eccleſiæ Decreto, accenſemini *Sortilegis.* Conf. *Juſtin. Qv. 52. Tertull. de Anim. c. 57. D. Thomam in d. l.* Egregiam verò laudem & ſpolia ampla reportâſtis ipſi, & qui Vobis fidem habent, ſi hæc oſſium Sanctorum eſt veritas & uſus, qualis in Samuelis phantaſmate diabolico, ut perindè ac Saul, deſperent & moriantur in peccatis ſuis *I. Paral. c. 10, 14.*

§. 36. *Tertius decimus Locus* captatus è *Pſ. 34. 21.* & è dicto *Syracide*, vel indignâ ſecuritate pravè intellecto, vel nugivendulâ vanitate arceſſito, uti &

§. 37. *Decimus quartus* ac *quintus*, non merentur ullam reſponſionem. Legiſſe S. Scripturæ contextum, eſt refutâſſe; eoque miſerabile oſſilegum talium fatum.

§. 38. Quo & *Decimum ſextum* è Tobiâ apocrypho ludibrium pertinet: quem ipſum locum nil minus quàm ad fidem textûs corripuerunt collo obtorto ad oblationes ſuas. Inſpicite ſodes, non addicunt aves: Toto libro nec ſomnium umbræ occurrit ſententiæ venditatæ.

§. 39. Similis allegatio eſt *Decima ſeptima* è *Rom. 2, 10. Gloria & honor operanti bonum.* Sancti mortui ſunt operati bonum. E. iis gloria & honor

honor. Major è d. l. pertinet ad judicium Dei in peccatores, cum pœnitentes tùm impœnitentes: Illis benè agentibus usque ad finem vitæ, tribuitur gloria & honor *in vitâ æternâ.* Id autem non eſſe meritum operum, docet ſumma Paulini propoſiti: Omnes nempe homines eſſe peccatores. Omnes, non niſi ex fide in Chriſtum, juſtificari coram Deo. Uti Gregorius M. *Expoſ. in Job. c. 11. l. 9. Omnis humana juſtitia, injuſtitia*; juxta *Eſa. c. 1.* ac *vita æterna eſt donum gratiæ in C. Jeſu Rom. 6, 23.* Idque magna Catholicorum Dd. pars agnoſcit; & negat, *Meritum* propriè locum heic habere; vim ſolùm impetrandi *ex promiſſione*, non *per ſe*: Et quicquid Scriptura de ἀποδώσει operum dicit, *ſecundum* non *propter* opera tanquam cauſſam mèritoriam, accipi. Ponite autem per impoſſibile: opera bona ſuperſtitum eſſe meritoria gloriæ & honoris in vitâ æternâ; quidnam inde ſequetur? Ergò piè mortuorum exuviæ, in hac vitâ religiosè cultæ, præſtant aliis paria vel in viâ vel in patriâ! Quis ſobrius autor ſic collegerit? Præmia & pœnas non excedere perſonam, conſtat, niſi ſuperioris lex expreſſa diſponat aliter. Talem Fratres nondum protulerunt. Nedum ut criminentur *hæreticos ſuos*, ſententiam illam Paulinam eſſe *inimicam* his, qui abſurda ſtrahovica non tam præcipitanter ſua faciunt.

Tædet verò indigniſſimarum nugarum quibus delectantur miſeri in detorquendâ Scripturâ S. cujus Locus *Decimus Octavus* è *1. Petr. c. 2, 7.* vel ſolus erit indicio. *Erravit*, ajunt Ironiâ captatâ, *Petrus, cum dixit*: Vobis honor credentibus. *Non vobis, Sycophantæ* SS. tantùm credentibus; *ideò* nec credentibus. Longum ſit exequi, quàm imprudenter dent ſeſe h. l. Sionici FF. & prodant ἀγεάφυς καὶ ἀλόγυς; in tantâ luce doctrinæ, ad *Rationem* & *Scripturam* tam præfidenter provocare auſi. Locus citatus è *Pſ. 118*, 21. undè accepit Eſaias *c. 8, 12. c. 28, 16.* quem etiam Chriſtus applicat ſibi *Matth. 21, 24. Mar.* 12, 10. *Luc.* 20, 17. adhibitus Petro quoque *Act.* 4, 11. & Paulo *Rom. 9, 33.* heic repetitur; ac 1. agit de *Meſſiâ.* 2. Ratio cur Meſſias comparetur *lapidi*, apparet in *c. l. fundare* nempe dicitur *Eccleſiam, hæc ipſi ſuperſtrui.* At ſi qui ponant fundamentum aliud, præter Chriſtum, hos pronunciat *contritum ab lapide illo; & ſi in ipſum impegerint, alliſum iri* (uti & olim contriturus eſt omnem poteſtatem terrenam *Daniel. c. 2, 45.*) Qui verò ipſi innituntur, hos ſuſtentum, defenſum, & *honoratum* iri. 3. Medium & *modus* quo *inniti* licet *lapidi eidem angula-* §. 40.

*ri*, dicitur *Fides*, fiducia, firma & immota animi adhæſio, ut ſtructura ulli alii rei non incumbit niſi ſuo fundamento. Quid nunc, Fratres, verbi eſt, cum ſcurriliter exagitatis alios, ut *tantùm credentes?* Et parùm aptè infertis: *ideò nec credentes?* Et quos *ſanctos* nominatis, qui *non crediderunt* in hunc lapidem, eoque *honorem obtinuerunt ex Deo?* Qui verò ſunt illi *Sycophantæ Sanctorum*, qui tamen *ſanctorum opera intueri*, *fidem imitari* jubent? Veſtrum erat docere quòd, vi *loci citati*, rectè & ordine feceritis, ablatis exuviis Norbertinis, & propoſitis ad religionem hominum. Quid vos autem? *honor credentibus*, id eſt, credentes in Chriſtum & Sanctam vitam ejus imitati, coram Deo honorem & gloriam obtinebunt. Perlegatur ſanè caput integrum Epiſtolæ Petrinæ. *Ergo* (colligant quæſo Logici) Norberti exuviæ rectè transferuntur Pragam, & proponuntur hominibus venerandæ! Quis vel ἀγέλαστος Perſa Aglaitidas *ap. Xenoph. in Cyropæd.* auditum admiſſus riſui, vel Democritus Diogenicus indignationi temperet? Scommata enim venditare paraſiticum & circulatorium eſt; nec ad hæreticos hilum facit, qui talia miſerari, ægrè non ferre ſolent.

## PARTIS III.
## CAP. II.
# DE JURE TRANSLATIONIS E SRIPTURÆ S. EXEMPLIS.

§ 1. Exemplis niſuri FF. 1. *Sepulturæ curam* antiquiſſimam renovant, & definitam loco certo ac remoto à ſede emortuali, hanc eſſe ipſam *Reliquiarum translationem* contendunt.
§. 2. De quâ re præmonendum eſt 1. *Exemplorum humanorum uſum* ſine lege non ſatis procedere.

§. 3. 2. Exempla *Sacræ Scripturæ* non indifferenter afferenda eſſe, ſed obſervandum, quænam *hiſtoriæ* ſolius, quæ verò *imitationis ejusque perpetuæ* rationem habeant.

§. 4. 3. *Tanslationem Reliquiarum* nobis dici, non cadaveris *inſepulti*, ſed jam *olim ritè conditi*, ut ibi ad beatam ἀναζωποίησιν quieſceret, re-

refoſſionem & iteratam ſepulturam loco diverſo ut honoratiore vel gratiore ob ſuperſtitum elevantium affectionem; quæ jam ſolo *amore*, & *reverentiâ*, jam *religione* ac *fiduciâ novi* per mortuum *boni impetrandi* intelligitur.

4. *Jus ſepulturæ* & *Translationis* cenſeri partim ex eo, quod jure §. 5.
*certo intereſt tertii*, qui vel ſepelit, vel ſepultum refodit; an, quo loco, tempore, ordine & decore cadaver condatur: partim quod *poteſtate conceſſâ* fit à funeris curatore & translatore, circa funus & ejus reliquias. In quo genere quantopere variet omnis illa ſollicitudo, ut probabilis ſit, ſatis indicant jura humana, gentium & civilia; ne divina ſcientibus otiosè renumerentur. Conferantur Autores de *Funerum Jure & Ritu*.

5. Martyrum & SS. reliquias totis trecentis annis inter fideles §. 6.
non ultra æſtimatas, quàm ut reverenter conderentur & ad conditoria, ſimili fiduciâ & ſpe conveniretur. Conf. Cyrill. *contr. Jul l. 6.* ut conſtantia Chriſtianiſmi firmaretur. &c. Uti vel ethnici hos ſequebantur pro patriâ pugnandi & occumbendi autores. Vid. Platon. *in Menexen.*

His forſan neutrobique negatis, ad inductionem Strahovicam §. 7.
non difficillima reſponſio erit. Ac 1. Cura conditorii *certi*, *gentilitii*, *hereditarii*, *decori* ab Ebræis, Ægyptiis, Abrahamo, Jacobo, Joſepho inita, quæ *p. 62. 63.* callidè prælaudatur, οὐδὲν πρὸς ἔπος; de *Translatione* enim quæritur *ſepultorum*. Si dicunt *p. 64.* *quid hoc aliud eſt quàm transferre reliquias, niſi quòd recentiores, & nondum ad oſſa conſumtas?* Sanè *aliud* eſt, per ea quæ antea de *nominis* uſu recto & conceſſo notavimus. Alioqui, ſi quæcunque *translocatio* cadaveris eſt Translatio Strahofica, ergò omnia corpora exanima toties Strahoficè transferuntur quoties è lectulo lethali moventur aliquò; idque decies & pluries.

Intelligunt ſuorum commentorum vanitatem; undè ſubnectunt: §. 8.
*propiùs ad hoc quod volumus accedit illa de oſſibus Joſephi inſtituta, nec obiter, nec ſemel, narratio.* Quod autem volunt hi, nolunt Joſephus & poſteri grati, mandatorum memores. Lectionis varietas in textu Græco à Lyrâ, Vatablo aliiſque Catholicis ſic accipitur ſemper, ut Strahovica exulet. Nempè Joſephus *noluerat* in Ægypto condi, ut *n. 3.* res accepta eſt; ſed oſſa ſua, uti vivo acciderat, hoſpitari tantiſper;

cauſsâ diſertè additâ. Voluntas igitur divinitùs præſaga tam benefici & ſancti viri, ac ſuorum etiam poſt mortem amantis, & iſto deſiderio fidem eductionis ex Ægypto in terram promiſſam obſignantis, ut conſentaneum eſt, (in corporis proprii ſplendidâ alioquin ſepulturâ apud Ægyptios futurâ, nihilominus poſthabitâ, ad ſpem aliam, cujus eventu *oſſa* dicuntur *prophetâſſe*,) quidni ſervaretur? Servata, dum oſſa reponuntur *Gen*, 50, 25. repoſita auferuntur *Ex*. 13, 19. ablata ultimò conduntur *Joſ*. 24, 32. Nullô concurſu ad oſsa ſupremum condita, divinam veracitatem in promiſſis & piorum juſtum obſequium luculenter demonſtrant. Longè igitur recedit narratio iſta à propoſito fratrum & captatâ imitatione in factis diſſimilibus.

§. 9. Undenam verò Fratribus *par jus* & *neceſſitas* ex *mandatis ſupremis*, alioque probabili incepto obvenit, vel Norberti vel aliorum piorum oſſa refodiendi, qualis ſuppetiit Iſraëliticis? Iſtis, qui contra *ultimam voluntatem* viri pii, quiete deſideratâ privârunt exiguum corpuſculi pulverem; & disjectis conferruminatis contra vim ultimam tegmentis, contriverunt ut leones oſſa ipſius.

§. 10. Nec felicius auxilium petitur ab *Davide* rege, qui *Sauli oſſa* repetiit & patrio monumento intulit, per notata *§. 1. n. 3. & 4.* Datum hoc eſt partim perpetuo Iſraëlitarum ſtudio, ut familiæ diſtinctæ, & vita communis eſſet, & quisque ad patres ſuos colligeretur. Cujus, authore Abrahamo *Gen. c.* 23, 4. erat *c.* 50, 13. & Zelus continuus, 2. *Sam.* 19, 37. & ratio eminebat, Terræ S. poſſeſſio, ubi & vivis domus immota, 2. *Sam.* 7, 10. & mortuis quies certa in ſinu & complexu chariſſimorum daretur. Undè & inter *pœnas Dei* eſt privatio iſta 1. *reg. c.* 13, 22. *Baruch. c.* 2, 24. Partim honori regii nominis, quod & in hoſte colitur 2. *reg.* 9, 34. Partim memoriæ priſtinæ erga ſocerum & affinem, depoſitâ jam ſpe metuque 2. *Sam. c.* 1. quo & Michal conjugem jam recuperatam impuliſſe conſentaneum eſt. Partim famæ & favori populari, cujus ipſe auceps inſignis fuit, hoc ipſo in negotio, Vid. 2. *Sam.* 3, 32. *ſeqq. c*, 3, 10, *ſeqq.* Quod & inclytos principes imitari legimus, ut, honore præſtito funeris non minus humanitate, quàm virtute ſuperâſſe hoſtem oſtenderent. Quem ſibi ſcopum propoſuiſſe Sionicos noſtros ſatis colligitur; ut *ſoli* meditati viderentur, inter omnes Ordinis ſui Commilites & confeciſſe

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0040-8

ſe rem tantam; ac allicerent reliquos omnes ad ſuæ ſedis reverentiam.

De *Adami* & reliquorum majorum *oſſibus per Noachum receptis in arcam p.64.* compilata, Fratres ipſi *p. 65. ut incerta & minus idonea ad fidem, prætereunda* cenſent. Cur g. tam otioſè pro eâ fabulâ declamitant? *Duriores* quidem *animos in fidem iſtam* quos non invenerint? *Torniellus*, ad quem provocant *p. 72. ſ. a.* negat, *ſciri poſſe ubinam tumulatus fuerit ante diluvium; cum ipſa habitatio ſub finem vitæ, & locus mortualis à S. Scriptura non memoretur.* Ita,cùm de oſſium translatione nil niſi *Syriacum commentum* refert, non approbat, *n. 6.* tùm *Adami alteram ſepulturam nullum fundamentum habere è ſacro eloquio n. 7. ab Hieronymo irrideri n. 8.* Quanto verò certius eſt, Noachum nil tentaſſe in apparatu illo contra diluvii periculum,niſi quod Deus ipſi præcepit *Gen. 6, 22.* Quæ autem præceperit, *capite eodem* perſcribitur. Nec veroſimile fit vel Deum de *animantibus* inferendis arcæ præcipientem, omiſiſſe *hominum ſanctorum* mentionem, ſi aliud cordi fuiſſet ipſi; vel Noachum *excedere* fuiſſe *auſum mandata Dei*, in tanto periculo ſuo, ſatis gnarum decreti: *pulvis es. c. 3, 19.* §. 11.

De *Rachelis monumento Gen. 35, 20.* partim vanè diſputatur, ſolenni *ignorantiâ elenchi*, per *not. 3. §. 4.* partim *falſum* ſtatuitur. Ipſe quidem Torniellus *c. l. p. 226.* ad illam rem: *ego non facilè crediderim tale opus nimis fuiſſe artificioſum & grande, ſi revera factum fuit ab ipſo Jacob. Non enim in tam parvo tempore, quo ibidem ipſe moram traxiſſe creditur, magnum aliquod aut valdè politum extruere artificium potuiſſe videtur. Si verò Brocardi temporibus illud magnificum & excelſum videbatur, fortè ab aliquo poſtea de Jacobi poſteris admodum divite ac potente, inſtauratum & auguſtius exſtructum fuit.* En ſi Lutheranus tali epicriſi uteretur, quid tum Noſtri FF.? Hæreticè! Uti igitur *c. 25, 26.* Uxor Lothi converſa, תְּהִי נְצִיב & *c. 28, 17.* lapidem quo uſus erat pro culcitrâ, erexit מַצֵּבָה in *ſtatuam, columellam*, non multo ſuperbior fuerit ille cippus Racheli erectus, licet Jacobus opulentior tunc eſſet. Quo longè ſplendidiorem cippum erexiſſe videtur Abſolomus *2. Sam. 18, 11.* animis & temporibus diverſis. §. 12.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-50079-p0041-3

§. 13. *Davidis* & ſequentium *regum* ſepulchra *p. 66.* magnificè exſtructa & theſauris referta, quàm aptè reliquiarum incluſarum oſtentui adhibeantur res loquitur; collige enim terminos. Davidem intuliſſe ſecum theſauros, non legitur. Erutos docet Joſephus, qui divino monitu indagâſſe Hyrcanum, refert, Fratribus *Sacrilegus* dictus, quod non audet Torniellus *c. l.* Hyrcano quidem & ingenium inſigne & ſpiritus propheticus tribuitur; ac in eâ reipubl. neceſſitate an præſtet aurum otioſè terrâ occuli, quis non agnoſcit? Nec divinæ fuisſe opis exemplum hoc? Ipſe David ſi hoc tempore exſtitiſſet, quid prius habuiſſet quin promeret? ut pro ſalute publicâ vel templi donaria & opes à piis regibus impenſas legimus. Aut ſeipſos jam judicent, an de *Sepulcro Violato* conveniri poſſint? Nedum ut otioſi declamatores ſuum illud *ut quid perditio hæc*, aliasque contumelias identidem evomant: cum *hæreticorum* quos infeſtant nemo improbet *honorem* ſepulcrorum *competentem*, per *not. 3. &* 4. *§. 4. 5.* tam ipſis ἀπρεσδιόνυσα *p. 67.* viſa, ut *propriè ſermonem ſibi eſſe de condendis corporibus* negent. *Clament* ſanè ad raucedinem *p. 68.* tam non hos hæreticos, nec alios cordatos & probos homines eo incepto facient *ſuos*, quàm ipſum Norbertum necdum ſuum fecerunt.

§. 14. Conatus *p. 69. trophæi* è Novi Teſtam. hiſtoriâ Norberto *ſtatuendi* felix deinceps apparebit. Nam 1. *locus Matth.* 23, 29. per *citat.* Ambroſ. *h.* Chryſoſt. Hieronym. *h.* jam olim ab Origene ſollicitatus, arguit *hypocriſin, animum dirum in ſuos cenſores*, & *confeſſionem reatus ſimilis*: ut Fratres in ſuâ λειψανο- καὶ σκελετολατρείᾳ. Quos decebat Sanctorum opera intueri, velut exemplar vitæ, & fidem imitari. Cum verò licentiam movendi oſſa elicere hinc ſtudent, more ſuo à limine aberrant, ut *d. §. 45. n. 3. 4.* notatum eſt.

§. 15. Uti nil quicquam ad rem facit 2. *locus Matth.* 14, 12. ac 3. *Act.* 8, 2. Ratiocinare ſis: Cujus corpus tumulatur à ſuis, cujus mors plangitur, honoris ergò, illud, corpus rectè de conditorio ſtato & electo eruitur alieno auſu, & quovis bono vel alieno, vero an imaginario, transfertur, laceratur, ſeparatur, circumgeſtatur, adorandum proponitur. Quis hoc dictum non ἀτόπων ἀτοπώτατον; aut id vel Baptiſtæ vel Stephano futurum cordi fuiſſe, ratione aſſequetur? Quis ipſi Norberto?

Ita-

Itaq; irrito conatu hoc,è terra gubernant,& *à fonte ad rivos, flumina, oceanum Exemplorum Eccleſiæ* contendunt. Vereor, ne in Euripum. Nam ut ſuo malo, hoc *genus* documentorum prædicant *ſubſellii ſecundi autoritatem p. 70. & Eccleſiam eſſe tanti, quanti ipſam eſſe voluerit Sponſus Chriſtus*: ita non poſſunt non concedere ſuperius noſtrum principium in hoc negotii genere, ut *primum* & *regulam* cæterorum, nempe S. Scripturam canonicam. Primò audietur Filius Dei *Matth.* 17, 5. Poſt ipſum Eccleſia *c.* 18, 17. cujus deſideria ſi filius Dei improbat, ipſa ſuos famulos obſervare jubebit, non ſua fæminæ, ſed *Domini* dictum *Joh.* 2, 5. *Columna* item & *firmamentum* erit *veritatis*, alluſione ad binas columnas in templo Salomonis *1. reg.* 7,21. quæ dicebantur יָכִין *ſtabiliet*, & בֹּעַז, *in ipſo robur eſt*: cujus tropi ratio ſatis patet conferenti templum illud manufactum ejusque uſum, cum eccleſia ἀχειροποιήτῳ. Ut ſit verum ἑδραίωμα καὶ ϛύλος in genere ſuo. Quæ cum prædicatur ϛύλος καὶ ἑδραίωμα veritatis, vel *concretivè* ſic dicitur, ut Verbum Dei in ore Eliæ, *Verbum veritatis 1. reg. 17. v.ult.* & *Lex veritatis in ore Levi Malach.* 2,6. ut notatum eſt; vel ſi *abſtractivè* nomen *veritatis* ſumi malis, id ſit, quia 1. *activè*, à Veritate Dei, Chriſto ipſo, eſt erecta; *Fundamentum enim aliud nullus poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, qui eſt Jeſus Chriſtus. Nam hoc Chriſto convenit, non Eccleſiæ, quæ eſt fundata & ſuperædificata, non fundamentum. Chriſtus autem eſt Eccleſiæ fundamentum*, ait Jacob. Faber Stapulenſ. catholicus ſcriptor magni nominis *in h.l.* Uti Chryſoſtomus *h. Veritas eſt eccleſiæ columna & fundamentum*; & Cornel. à Lapide *h. Eccleſia paſſivè firmatur in fide & veritate per aſſiſtentiam Sp. S.* 2. *Subjectivè*, in ipſâ *continetur* veritas, ut πλήρωμα Θεοῦ in fidelibus *Eph.* 3,29. hi complentur à Deo, Deum non complent. 3. *Objectivè*, veritatem enim eccleſia præfert, offert, tuetur contra errores, ut Prophetæ ſuas viſiones affixiſſe columnis laudatis, Sacerdotes ad eas ſacrificaſſe dicuntur: Ita *verbis & exemplis firmat in cordibus infirmiorum veritatem fidei & mandatorum Dei*, ait Anshelmus *h.* eoque dicitur ϛύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, *non abſolutè, ſed relatione ad nos*, ut Thomas *h.* diſtinguit. Nam veritatem *ſuſtinere* & *ſtabilire* ſic dicitur etiam is, qui ipſam aſſerit & defendit, ut teſtis & præco fidelis. §. 16. §. 17.

Undè verò protenus pateſcet, ecquodnam ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ſublocent FF. *Feſtis Translationum? Quæ* enim *Eccleſia*, & *cujus divinæ veritatis fide* iſta ut neceſſaria colit, tam novum εὕρημα 400. annis à C. N. editum. *Eccleſiam* enim dicimus univerſalem & veram. Aut quæ illa prohibet *Altaria conſecrari*, *niſi ſancti alicujus lipſanis farta?* Satis liberales ſumus qui Altaria non paucis contradictionibus obnoxia, his Fratribus intacta ſervamus.

§. 18. Ac tempus tandem aliquando erat prodigam ſuî abſurditatem abſiſtere Reliquiariis commentis, ac ſi Altaria conſiſtere non poſſent ſine Agathodæmone: tam perperam repetito *C. Placuit. De conſecr. D. I.* qui Canon non *XV.* ſed *XIV.* in *Concil. Carthag. IV.* ut qui maximè repugnat ſtudio illi inconſulto incluſionis reliquiarum. Nititur enim Synodus contra epidemicam ſuperſtitionem, quæ invaluerat in Africâ ſpecie *Martyrum memoriæ*, non ſecus ac inter Catholicos Romanos hactenus loca infinita id genus laboribus occupata fuerunt. Undè inquiſitione factâ, numquid extantes altarium paſſim ſtructorum moles reverâ tegerent oſſa fidelium, ſi quid diverſum ſuſpectumque deprehenderetur, tollere jubentur Epiſcopi. Viderat enim cordata Pietas relapſum plebis in ethnicam per terras æmulationem, cui ſolùm nomen paullò honeſtius prætexebatur: ut reges Judaici ἐθελοθρησκοῦντες ſolebant. Salubre remedium hoc erat minuendis animarum periculis, ſi non penitus tollendis; ut PP. diſertè docent in contextu. Quis autem eò rem eandem provectum iri unquam metuerit, ut Canon qui ſiſtere & temperare malum & poſſit & debeat, in contrarium ἀμετρία ἀνθολκῆς verteretur? Quòd ſi martyria *vera* caruerint, ac hypotheſis illa includendi Reliquias obtineat, non poteſt non iſtorum corporum divulſio, diſmembratio fœda, & commenta ſuppoſititiorum ſanctuariorum ut *c. præc.* 24. nominantur, immenſum invaleſcere Qvum autem veritas Dei nolit *alligari cultum noſtrum ad loca Joh.* 4. 21. niſi cum *ordinis boni cauſſâ* ita fit; nec lipſana illa hominum mortuorum ad cultus noſtri vim debitam pertinere agnoſcat; igitur conſecratio illa ceſpitis vel altaris, ſine incluſione talis modi, quâ veritate prohibebitur? aut quâ, his licet incluſis, probabitur res *nova* & *inſolens*, aut improperabitur Catholicis aliis, quòd *volint eſſe cum Fratribus*, i. e. catholici; eò quòd facto Fratrum im-

impotenti non applaudunt temerè? *Stillicidio* quidem ſuo *Exemplorum*, tanquam *ſimilium*, nondum eluent maculam ſuam; uti jam ipſis protrahentibus licebit advertere.

# PARTIS III. CAP. III.

# DE JURE TRANSLATIONIS E LITERARUM ECCLESIASTICARUM EXEMPLIS.

PAuca, *lecta*, *ſelecta Exempla* promittunt in ſuam rem. *Paucitatem* non deſideres; ſatis copiarum eſt: modò *ſelectus* vel fidelis vel ad Veritatis laudatæ genium compoſitus eſſet. *Eccleſiam* enim cujus literas præ ſe ferunt ecquam meritò agnoſcamus, ante viſumeſt; non item facta, dicta, ſomnia quævis, ſerò *in eccleſiâ*, errore, fraude & ſuperſtitione variâ patrata vel jactata. Par erit judicium de *Autoribus* pluribus quos citant, obnoxiis & ἀμελείᾳ ἀνθολκῆς tam præcipiti nobilibus. Contra quæ omnia nobis ſuperiùs cautum voluimus. Et hoc vel S. D. N. Innocentius Papa XI. noviſſimè *anno 1678*. binis Decretis *de Suppreſſione Indulgentiarum* & *Feſto Concept. B. Virg.* docere potuit Fratrum ſucceſſores qui, collatione theſauri ſui inſtitutâ, veremur ut auſint contra tendere. Eoque non eſt cur conſectemur laborioſos illos oſſileges. Quibus viciſſim unum alterumque *malè ſelectorum* ab ipſis exemplorum abuſum oſtendemus, ut de cæteris idem judicium ſit. §. 1.

Primi in exemplum trahuntur Apoſtoli *SS. Petrus & Paulus*. Si ſtetur fide narrationis, quid non ſibi adverſum hinc Fratres elicient? Exemplum (1) nempe eorum, quos ad rapinam (Magdeburgum) veniſſe dicunt. Sane *ad rapinam*. Catacumbis enim eripere corpus, ſpe Reſurrectionis compoſitum, *ſacrilegum* erat: non paullò evidentiùs, ac Hyrcani tam juſta exemtio auri è ſepulchro Davidis. Idem *color* eſt quo Fratres *rapinam præſcribere* volunt, *quia populares ſuos & Cives* (Patriarcham ſuum) *repetitum iverint*. Quis enim Italorum (2) *tunc* Corpora SS. *transferre* cogitâſſet; quis ab orientalibus accepta retentâſſet, niſi tonitrua terruiſſent? Abbatem quidem Strahovicum to- §. 2.

 ties

ties *irrita profectio*, *terror* in urbe, *conatus nocturnæ rapinæ impeditus*, *inhibitio Principis*, *contradictio* & *proteſtationes eorum*, qui bono Norberto, licet nullâ Patrocinii opinione, quietem deſideratam pro eo ac fideles depoſitarios & homines mortuorum, præſertim talis ordinis & ſtatûs, honeſtè ſtudioſos decuit, aſſerebant, ſatis monitorum fuerant, ut toties rejectus Abbas tandem in ſe deſcenderet parceretque ſepulto, ſi mens non læva fuiſſet. Cum (3) & falsò dicatur, Corpora SS. illa ad Catacumbas *depoſita ſolùm*, non compoſita ſupremo munere fuiſſe. Nam, per Baron. *c. l. n. 20.* ex Actis Lini, quorum fidem nunc non attingimus, poſt Baronii cenſuram *T. 1. ad A. C. c. 69. n. 6.* Petri corpus à Marcello presbytero curatum, aromatibusque conditum, magnificentiſſimè more regio, nedum Judaico, traditur ſepulturæ. Ac locus ipſe in Vaticano, congeſtis elogiis celebratur, ut *ferax olivis*, *irriguus fonte*, *clariſſimus inter perſecutores*, *ſine jacturâ vel contumeliâ aliquâ permanens*. Quàm perperam igitur Orientales auſi dicuntur SS. corpora auferre *ut ſua*, tam otioſa conditorum translatio altera fuiſſe judicabitur. Et ambitiosè congeſta *teſtimonia de peregrinatione ad loca hæc*, de *patrocinio Urbis Romæ* jam docent quod malè Fratres negant, *Reliquias divino cultu adorari*. *Veri* enim *adoratores Patrem* (non Norbertum) Chriſti *neque in hoc neque in illo monte*, ſed ubivis *in ſpiritu & veritate*, certâ ſpe & copiâ deſideratorum, *adorabunt Joh. c. 4, 21.*

§. 3. De *S. Andreæ* Reliquiis 1. ſi hæc ipſa corpora ſint Andreæ, Lucæ & Timothei, apud Baron. d. l. Fratres ipſi ambigunt, ecquem translatorem habuerint. 2. Ratio pro Conſtantino M. adducta, *quòd eccleſiam Apoſtolorum titulo ædificârit*, *nec ejus dedicatio fieri debuerit ſine reliquiis Apoſtolicis illuc illatis*, (1) deſtruit omnes ecclèſias titulo alicujus Apoſtoli vel Sancti ſtructas, ſi reliquiæ tales illatæ non ſint & novas Conſtantini. Inferendi, enim facultas in pleriſque penitus defuit deeritque. (2) Eccleſia illa Conſtantini non Andreæ ſoli, ſed Apoſtolis, iiſque omnibus dedicata dicitur; uti duodenorum cipporum collocatione circa ejus ſepulchrum oſtenditur apud Euſeb. *Vid. l. 4. c. 58. ſeq.* quem et. Baron. citat. (3) Autor eſt Procopius, cujus fide nituntur, *l. 1. de ædif. Juſtin. apud Baron. d. l. f. 512. n. 70.* reperta corpora Andreæ, Lucæ & Timothei, conſpecta à rege & populo, rurſum terrâ occulta eſſe. Nulla hic *adorationis* mentio, nec *cura*; cui ſecuta ſuperſtitio deinceps

ceps tam fervidè incubuit. (4) Si Andreæ indè corpus, brachium, caput, in diverſa Italiæ loca, ut Oſirim fabulæ Ægyptiæ, diſcerptum tulerunt, quo id jure tradentis & accipientis, ſine injuriâ Sancti, ac Conſtantini ipſius, potuit fieri? nedum ut Deo grata videri poſſit talis devotio. Noſtra verò quæſtio eſt de Jure, non Facto; de fine & uſu recto. (5) Demum cur S. Lucæ & Timothei corporum integritas ſibi ſola conſtitit in illâ boni Andreæ laceratione?

Verum quid ad hæc advertimus homines, qui ultra Baronium §. 4.
quem compilant, ſapiunt. Is 1. *ad d. 9. Maji* in Martyrol. planè ambiguus eſt. Uſuardum de SS. tribus, Bedam, Adonem de ſolo Timotheo, primos citat: cauſſatus, *putare ſe*, quoniam ſeorſim ab prioribus SS. translati ſint. At autores nil minus quàm συγχεόνους citare, ac *putare*; quid hoc fidei eſt? Hieronymus, infit, fidem eam facit in *Chron.* & *de Script. Eccleſ. in Luca.* Quem verò ſibi repugnare, ultro obſervans: *Mirum ſanè*, inquit, *in unius ejusdemque autoris ſcriptis tantam reperiri diſcrepantiam.* Inde ad *Artemii martyris acta* (ac hoc ſub clypeo ſolemni: *Si fides adhibenda ſit*, apud Metaphraſtem & Nicephorum ipſi Baron. ob fabulas improbandum, provocat contra Hieronymum. Ac poſt paullo: *in re ambiguâ ita animo affectus ſum ut definire controverſiam, certamque de eâ referre ſententiam non præſumam.* Ut præſumptio Fratrum, contraria tanto viro, cujus corrigias calceamentorum ſolvere vix mereri ſeſe fatebuntur, impotentis animi appareat: *De patre* (Conſtantino) *potiùs credendum.* Cur autem credendum? quia *Apoſtolorum titulo* Eccleſiă ædificavit. Si ſtupes ad conſequentiam, ſubdunt, *cujus ſanè dedicatio ſine reliquiis Apoſtolicis illuc illatis fieri non debuit.* Si & hanc nondum aſſequeris; ſubventuri miſero tibi: *cum*, ajunt, *ea maximè ædificandi cauſſa fuerit, ne Imperatores & Sacerdotes Apoſtolorum reliquiis aliquando deſtituerentur.* Si & hoc arduum captu eſt, Ipſi: *Neque tanto Imperatori è vicino eas & petere & accipere difficile fuit*; puto, ut Ferdinando Norbertinas. Pudorine ſit his ſapientibus ſua illa diſputatio, cum à limine aberrent, ac de cæpis locuturi de cucumere inerte concludant.

Qui & Baronium non æquis paſſibus, ut Æneam parvulus Aſca- §. 5.
nius, *Amalphim* ad *Sepulcrum hygiatricum* ſecuti, cum Baronius ſolitâ circumſpectione, rivos ſalutiferos totum *pene* orbem Chriſtianum

(Re-

(Reliquiarium) teſtari diceret; Noſtri *τὸ pene* expungunt, & cum auctario temporis, *totum hodiè Mundum* (nempe Strahovicum) conſcium & teſtem dicunt. At Baronius *cum totum pene orbem Chriſtianum* appellâſſet, Notario ſeſe uſum prodit *Gregorio Turonenſe*, L. *de Glor. Martyr. c. 31.* cujus nobilis & boni viri nævos ne per Magdeburgicos Centuriatores *Cent. VI. c. 10. p. 728.* & in hâc ipsâ causâ ſuſpectam fidem arguamus; Sunt enim *hæretici:* Loquatur de magnâ ejus Simplicitate & *ἀκρισία* Sigebertus, & Hilduinus *Epiſt. ad Ludov. Pium Imper.* quàm credulus & non votivo errore falſus ſit, miracula omnia ſignare ſolitus albâ lineâ quæ in Apocryphis legerat, vel ab aliis acceperat. Conferantur eclogæ ap. Baron. *A. C. 599. n. 30. & ſeqq.* ac ipſe quantuscunque eſt. Sin ea opera diſplicet, Fratres loco collyrii *Joh. c. 9, 6. Apoc. c. 3, 18.* opiferi, eluant rationis maculas hoc liquore; non enim dubium eſt quin in *Bohemiam* permanârit, ſi *hodienum totus Mundus* conſcius eſt. Nam majorem gratiam inibunt de genere humano quàm Deus Betheſdæ fonte, Eliſa Jordanis aquis apud Naamanem, ſi hoc Mundus totus hodienum experitur. Sin fabulando id hodienum per totum mundum ſuum acceperunt; ac ipſi nos ad Baronium, hic ad Gregorium illum remiſerint, ergò ille Fons Salutis exſuccus, anhelos & irritos viæ, miſerè miſeros deceperit. Poſſit alioquin Romana Sedes hoc liquoris monopolio magis diteſcere & peraurari, quàm cunctis Indulgentiarum artiumque plurium ſolennium conatibus; cum vel communis Galenus det opes. Quod Baronius *d. l.* è M. Gregorio confert, & Fratres rapſodi ſuffarciunt, cujus fidei, decoris, rationis & probitatis ſit ad homines tam alta ſapientes, lectio Baroniana docet. Cui ſubnectas licet Platinam, autorem *Capitis Andreani à Peloponneſi Principe Romam advecti, ad S. Petrum*, in ſacello proprio collocati à Pio II. dimotis Pontificum ſepulcris, quæ (mira res) *temerè* occupabant baſilicam: Nobis indicio certiore opus, *eccujus id caput fuerit*? Inde ratio meriti ordine inibitur Andreæ martyrio Baronio ignoto.

De S. *Jacobi Compoſtellani* translatione ad *A. C. 816. usque ignotâ*, quod Baronius ad *d. A. C. n. 48. & 53.* fatetur, *loqui velle*, ſanè *ſit verba perdere*, ut Fratres benè cenſent. Neſciit ipſam Europa & Hiſpania tota ad *A. C. usque 816.* Baronio, quem Fratres heic compilant, fatente: ſuo

more

more centones ſuos declamatorios, dememinit malorum ab illo & ſequentibus ſeculis Hiſpaniam per varios hoſtes opprimentium: Ne *patrocinium* Jacobeum tam pompoſè jactet; de *miraculis* jam res conclamata eſt, quò ſi *populus* fallacibus inventis captus *properat*, commiſeratione, impoſtura odio digna eſt.

§. 6. D. Johannes, cum aliud nil ei poſſet eripi, ne abiret intactus, Tunicam relinquere cogitur, fato juvenis *Mar. c.* 15, 51. Miraculorum fides ad reliqua commenta pertinet. Conferantur citata Baronio ad *d. d.* 27.*Dec.* ſcripta: loquentur enim vanitatem ſuam & Mirabiliariorum Strahovienſium. Si ea virtute tunica ſit, conſulet ſibi Papa quivis torminibus corporis ægri afflictus. At nullum accepimus tali invento adjutum; ſed Medicos, ſeceſſus voluptuarios, diætam laudari. Indignum verò Chriſtiano homine, dictum Chriſti *Joh.* 21, 22. tam impudenter perverſum ire, quod ita licere Fratribus, undè colligitur? ut facilè appareat, hos Fratres non adeò curare impactum olim à Dominicanis & Franciſcanis elogium apud Balæum è Pariſ. *Cent.* 4. *c.* 11. *in Append. de Script. Brit.* Cum quali genere conflictari intempeſtivum eſt, ſed ſeponemus reliqua in ſanctos piè mortuos exempla inſanabilis violentiæ: Cum res poſcet, de illis diſpecturi.

§. 7. Rato hactenus & invicto argumento *Antiſtrabovicorum: Non debuiſſe Norberti oſſium quietem poſt tot ſecula turbari.* Cui quicquid exemplorum dictorumve contra ſtatueris, nil omnino evidenter ac certo concluſeris, cum dicta impertinentia, Exempla diſparia ſint, utrumque genus ad *Forum Ordinarium* referri; Interea oppreſſi & ſpoliati reſtitui ante quàm Mariani, Ordo, Norbertus teneantur conteſtari litem Strahovicam & compilationi tam incommodæ reſpondere.

# Pars III.
# DE TRANSLATIONIS ABUSU.

§. 1. SOlenni ſibi modeſtiâ, quam FF. laudabant initio, præcurſoribus uſi convitiis injurioſis (cum Magdeburgicos Marianos *Incubos infeli-*

*ces theſauri alieni, deteriores formicis fabuloſis ad hyperboreos, cuſtodibus malignis auri, ſalutant:* & contumelioſè prædicant, *oſſicula catellorum cariora ipſis eſſe; Canes in fœno, ſecundarum, tertiarum valdè Paulinos maritos, lambentes & adorantes incaſtarum caſtularum* (ſeu, ut marginalis nota habet, *muliebrium anteſinualium*) *oras imas; Canes edentulos, non mordentes ſed allatrantes*, ſine reſpectu quàm parum maledicentia viros graves deceat, ac ut obverſetur illud Chriſti *Joh. 8, 7. qui veſtrum ſine peccato eſt.* Criminantur Marianos, quòd vilipendant exuvias tales, at ſeſe benè uti iisdem; Ergò non peccare, ſi abſtrahant.

§. 2. At quanti pendi debeant exuviæ tales, ſupra declaratum eſt; hoc magnipendio & uſu exuviarum contenti ſunt Deus, Angeli, ſancti ipſi: quo ſi minus faciunt aliqui, alieni ſunt à doctrinâ & moribus Marianorum. Cum vero Strahovici contendant, *Cauſſam juſtam, bonam, ſanctam;* de *Jure* & viſum hactenus eſt, & optimè cognoſcitur ex *Fine* debito & *Uſu*, qui Emolumento piorum, & ſanctitate in Deo O. M. exemplari, expreſsâ & pro eo ac fert humanus captus, repræſentatâ in vitâ mortali conſtat. Quàm etiam bona & ſancta cauſſa in his talibus exuviis ſpectari poſſit, infelici ſtudio probationis in ſe ſusceptæ prodiderunt. Nemo quidem inviderit lactucas labris ſimiles. Lingant pulverem pedum & ramenta putridarum reliquiarum ad ſatiem, piperatos bolos per nos glutiant. At abſit abuſus divinæ quo provocarunt, autoritatis, & ſimplicium quos advocant ſcandalum. Obſcuriſſima enim eſt voluntas Norberti ipſius & omnium pari fato compoſitorum, qui in Domino mortui ad ἐθελοπεριαυθρησκείαν talem non minùs abhorrent ac Angelus Apocalypticus: *Vide, ne feceris; conſérvus tuus ſum, Deum adora.*

§. 3. Ac Ratio temerè jactatur, cujus ductu cum Plinio è *lib. 26. c. 4. H. N.* Magicam artem vanitatis arguente, P. Gregorius Tholoſ. JCtus Catholicus *Syntagm. Jur. Univ. L. II. c. 11.* de Lipſanis pronunciat; *hanc eſſe omni in re humanorum ingeniorum conditionem, ut à neceſſariis orſa primum, cuncta pervenerint ad nimium. Dignas magna veneratione reliquias, dummodo extra eccleſiaſticos cancellos nihil fiat.* Ut enim Ratio ab operibus orſa ad principia cujusque adſcendit, nec niſi demonſtratione operationis primæ veræque acquieſcit, fallaci toties experientiâ; eoque Plinius *d. l. novæ medicinæ patrem* Aſclepiadem *Magicis vanita-*

*vitatibus adjutum ſuper omnia* notat, *in tantum ut abrogare herbis fidem*
*cunctis poſſent.* Ut enim damnat jactatam *vim Æthiopidis, cujus con-*
*jectu amnes ac ſtagna ſiccentur, cujus tactu omnia aperiantur; Achæmenidis,*
*quâ conjecta in aciem hoſtium, trepident agmina ac terga vertant; Latacis,*
*quâ abs rege Perſarum legatis ſuis dari ſolitâ iſti, quocunque veniſſent, omni-*
*um rerum copiâ abundârint;* Ita de Reliquiarum virtute quæras: *ubi-*
*nam iſtæ fuêre, cum Turcæ per Hungariam terribili marte ululârunt?* aut
*cum Svecus tot exercitus* Catholicorum, & in ipsâ Bohemiâ, Principe
templa obeunte, *paucis legionibus ſtravit?* Curve Cæſareani duces
militem fame ac morbis perire ſivêre, *ſi abundantia & Salus omnis contin-*
*gere unius pulviſculi vel laciniæ obſoletæ felicitate poterat?* Nonne ſatius
fuiſſet Leopoldum noſtrum potentiſſimum Turcas arcere Viennæ mu-
ris reliquiarum objectu, quàm regreſſum ad regiam ſedem, certâ ope
fretum, patefacere portas armis virisque undecunque accitis: ac tan-
tis periculis damnisque ipſa loca quibus Reliquiæ proſtant ad cultum
publicum, non affici. Exigantur hodiè barbari Terrâ ſanctâ quæ tot
corporibus piorum commune coemiterium præbet; ac Chriſtianus or-
bis liberetur hoſtium publicorum tyrannide, ſi cadaveribus marcidis
averrunca potentia ineſt. *Mirum eſſet profecto, huc usque provectam*
*credulitatem antiquorum, ſaluberrimis ortam initiis; Si in ullâ re modum*
*humana ingenia noviſſent.*

Hæc *Rationis* æſtimatio eſt in talibus, quandò vel 1. *Dignitas* vel §. 4.
2. *Neceſſitas* Reliquiarum, vel 3. *Facultas*, interceſſione apud Deum vi-
que divinitus conceſsâ obtinendi deſiderata, vel 4. *Utilitas*, in homi-
num pædiâ ad Dei timorem procurandâ aſſeritur.

Si enim Ratio *Deum* non facit, ſed invenit; ac decernit, ἀοράτῳ
illi aliud nil probari niſi quod ipſe præſcripſerit; certè cum ignoret ho-
mo *numinis judicium*; Exceſſum iſtum in veneratione oſtentatâ depre-
hendet damnabitque protenus; ac vel tacentibus, quos Strahovici ſa-
lutant hæreticos, pronunciabit: *nil reliqui factum. quo minus Norbertus*
*ejusque putatitius pulviſculus Deo ſupremo æquatus ſit* in Cajano illo tri-
umpho, *Dedic. ad Cæſ. Ferdin. I.* Quod factum non abſolvet Ratio, ſi §. 5.
dictitent: *Animum eſſe qui honores diſtingvat.* Non dememores, tantos
honores non ut *animus*, ſed ut *voluntas divina* fert, diſtingvere licere.
Talis videbitur 1. religioſitas Cæſaris Ferdinandi inaudita, cum lim- §. 6.

bos aureos mortui Norberti manu nuda tangere veritus, papyrum mundam interponit, *init. Octid.* licet non veritus hoſtiam Corporis C. ore nudo attingere & guſtare: ut vel inde eluceat abductio animorum
§. 7. per typhum religionis, pro quâ declamant Sionici *d. l.* 2. Indulgentiæ
§. 8. à Pontifice, pompæ conciliandæ, exambitæ. 3. Sententiæ & Ritus Fratrum in hoc ſacro. *Impiam* enim *contumeliam in ſanctum ſuum* committi cenſent; *ſanctiſſimas* ſalutant Reliquias; offerunt in honorem Divi *doxologicum & votivum ſacrificium per myſtas.* Venerantur reliquias *prece, geſtu, ſuffitu; adorant* publicè ſubmiſſis armis & capitibus militum; *Donaria novo regni de cœlo hoſpiti ac Tutelari* offerunt (hæc enim ova Peruviana parit Devotio, lapidem philoſophicum & animam Solis ac Lunæ non paullò antecellens) ut Deo *Pſal. 29. & 72.* Quantâ contentione oblationum adverſus ipſum Deum eniſum inter Chriſtianos raro legeris. Fabricantur Reliquiis *arcam cedrinam, cherubinis incubantibus tectam,* omninò ad æmulationem Federalis Iſraëliticæ, ac falsò è Sacris capta *adoratione* ipſius à triumphali pompa deducunt, eo cultu, quanto majore Rex David. *1. Chron. 14. & 16.* non potuit; nedum Salvator Mundi Solyma ſua ingreſſurus. *Collega* & reverà *Con-Deus* Deo O. M. datur Norbertus, in tot Labarorum Inſcriptionibus: *Deo & Amico ejus Magno;* cui *cum ramis ſalignis*, in vicem oleaginarum, & *Hoſanna* occurritur: *Ipſi Jus Tutelare Bohemiæ & cultus univerſalis* autoritate Pragenſis Archiepiſcopi tribuitur, ac mandatur, ut pro tali *habeatur, colatur & invocetur*; ut Nabuchodonoſoris ſtatua Daniel. c. 3. non ſine ſpecie cultus Deo vero per ipſam præſtandi. Ejus oſſa excipiuntur, adorantur, *de ſalvando populo* compellantur, additisque elogiis Deo propriis & Chriſti mediatorio, thure incenſo, Antiphonâ de arcâ Dei è *2. reg. 6.* celebrantur; *preces ſolennes* & debitum adorationis concipiuntur; *Stationes pervigilii* nocturni, Davidicis coram Arcâ æmulæ ineuntur; *Miraculum* (ne Perez Uſa ſine æmulo ſit) lucis è nubilo circa meridiem ſerenatæ captatur; &, poſt factum *Eſth. c. 6, 9.* mirâ ſanè rhetoricâ applicatum à Trepezuntino Titulari, definitur in ἀποθέωσιν, & hanc in ipſum Deum O. M. cum incredibili pravitate: *Surge itaque in requiem tuam, Tu & hæc arca ſanctificationis Tuæ. Surge Domine Norberte, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt nos* (ſic miſeri & ſe deificatum eunt) *à facie tuâ.* Subjunguntur plura nomi-

minora quæ, affectatâ ex omnium ſecularium pomparum exemplis miſturâ, qui hodienum relegit, *Deum è Norberto factum* per ipſos, Rationem humanam ſolam judicem ſeqvutus pronunciaverit.

Hoc ipſum adjuta *Dei luce* Ratio acerrimè impetet, adeò fædari gloriam Dei & beneficia in abuſum rapi: ac ingemiſcet humanæ miſeriæ, quæ in nihil agendo tam operoſa teneat magnos minutosque homines. Nam nulla imprudentia eſt tanta quæ excuſet contemtum patientiæ Divinæ; & illi ſupra omnes cordatos ſapere ſibi viſi, profeſſione religioſitatis incomparabilis, atrociorem vindicem intelligent. Loci *Pſal. 139, 17.* abuſum ſupra indicavimus. Et alterius 2. *Sam. c. 7, 9.* ridicula in re ſeriâ applicatio eſt ubi Deus tam diſertè commonet Davidem beneficii, eoque contentum eſſe vult, non adſpirare ad gloriam ſtructi Templi, quæ Salomoni reſervetur. Conf. Interpp. Catholici. §. 9.

*Neceſſitas* facti nulla datur, ſi per doctrinam Concil. Trid. Seſſ. 25. de h. r. ſaltem *bonum quid & utile* fore dicitur invocatio & cultus iſte; ſi *piè & utiliter fit* per Bellarmin. *de Beat. SS. l. 1. c. 19.* quod ut probaretur fruſtra expectatum eſt. Cum *in V. T.* inſolitum quid, & *in N. T* in Eccleſiâ, non tam aliquâ *lege* quàm *conſvetudine* introductum, aut ſolùm ſit *Eccleſiæ præceptum*: Tridentini vero hujus pluriumque dogmatum præcipitatam publicationem Pallavic. ipſe *Hiſtor. l. 24. c. 4.* copiosè indicat. §. 10.

Ac licet provocetur *ad Synodum Nicen. II.* anno 787. habitam; & tota Diſceptatio *in Actis* oſtendit, quàm *pro ratione voluntas* ſteterit, visque illata ſit *Neocæſarienſi*, humana paſſi, & reprobaſſe anno 794. Concilium *Francofordienſe Plenarium* dictum, mediamq; tenuiſſe de *tolerandis*, at non adorandis, non hæretici ſolùm Centuriatores Magdeburgici *Cent. IIX. C. 9.* dicunt; ſed etiam tot Veteres, ac Baronius *n. 27.* & ipſe Hadrianus Papa *in Reſp. ad Capit. à Carolo M. miſſa*; qui liber à Tilio editus, ſudes in oculis Baronio, eoque ſuppoſititius eſſe jactatur. Sed præſtat ut in tanti momenti, judice Baronio, re, de qua tot hiſtoriæ loqvuntur, tantiſper receptâ ſententiâ ſtetur, fatente Binio §. *fin. Not.* & Baronio *n. 33.* donec Baronius, *ad d. A. C.* Bellarminus *De Imag. l. 2. c. 14.* Surius *in Admon. ad Acta Concil. Francof. ap. Binium p. m. 428.* ac Binius ipſe *Notis eod. p. 429.* inter ſeſe transegerint. §. 11.

§.12. Binio enim rationes non deſunt ſtringentes Cardinalium & Surii improbabiliſſima ac calumniis plena dicteria. Qualia ſunt Baronii *n.27.* faſſi, *Synodum Nicænam damnatam*; ac 1. diſtingvere mirabili Grammatica conati phraſes, *Damnari in Concilio*, & *Damnari per Concilium* illud *actum inceptum*, hoc *perfectum autoritate Papæ approbantis* dicere; nec contigiſſe tunc, ſed Legatos Papæ contradixiſſe. 2. Inde periiſſe actorum partem, ut à Papâ improbatam. 3. Patres ignorantiâ Actorum d. Synodi omnes eò prolapſos. 4. Odio Græcorum, quòd Imperator Carolus nuptias filiæ à Græcis ſpretas doleret; in Capitulari Caroli ſolum *Epilogum* eſſe Caroli, quod fingit & captat Papa, ut rhetor callidus invidiam transferret, ac Principem divelleret à Patribus. Adde plura id genus planè improbabilia, ob quæ Binius rem pro incerto habet. At Acta quoque Nicæna vel corrupta, vel *Patres erraſſe* Fr. Sylvius ad Caranzæ *Summam Act. 3. p. m. 516.* pronunciat. Undè cum nolit *credere* Baronius à lectore *dictis ipſius*, *niſi manu tetigerit*; iſtaque Binius ipſe in Opere *Autoritate Superiorum* edito *credibilia* neget, nec nos & Strahovici tuto crediderimus.

§.13. Forte tamen Neceſſitas major eſt quàm prima ſpecie habetur. Nam & atrox comminatio Tridentinorum inſtat; & Hadrianus Papa in *Reſp. ad Capit. Caroli M. ultimum*, verbis (*Adorare verò eas nequaquam cogimus qui noluerint*) obliquè adverſatus dicitur Baronio *n. 52.* cauſſis politicis ſubjectis cur non apertiùs obloqueretur. Ac cum hoc Papâ remis velisque contendit tam pro neceſſitate quàm licentiâ adorationis Imaginariæ; adde ex paritate rationis, *Reliquiariæ*; ut arguat Carolinum Capitulare male lecti & intellecti *Gregorii*. Cujus tamen *Epiſtola ad Serenum l. 7. Ep. 111.* & ejus iteratio *l. 9. Ep. 9.* ut quidem Binius edidit, nil habet undè impactus error doceatur. Sed, ubi per ſe doctrina Imaginaria & Reliquiaria improbabilis eſt, Gregorii dicta dubia ſanis & claris conferre & mollire præſtat, non autem contorquere loca alia, ut clariſſimis dictis vis inferatur: cum in diverſis ad ſummum elici videatur *hiſtoricus* uſus, nulla *religio* uti tam enixè: *nullo modo adorari*, Pater vult. Nec vero Papæ Gregorio *tanto taliquc generali Catholicæ Eccleſiæ magiſtro* nil humani contingere potuiſſe cum Hadriano Baronius aſſeveret, memor quid ſupra in *Martyrologio* de *S. Hieronymo* cenſuerit ac tot aliis Eccleſiæ Patribus; poſt Aaronis lapſum ac alia non minùs nobilia exempla.

*Uſus*

*Uſus* facilioris admiſſionis & impetrationis per reliquias Norber- §. 14.
tinas, nimis obſcurus, & abhorrens eſt 1. *ad Deum* qui tam *propè eſt*
*omnibus invocantibus ipſum, omnibus ſeriò invocantibus, & facit quæ petunt*
*pii, exaudit ipſorum clamorem & eruit ipſos Pſal. 145, 18.* 2. Ad *hominem*, §. 15.
per ambages contendere, quo rectum & breve iter eſt. Aulicæ quidem
prenſationis iſta calamitas eſt, per *Amicos Principis*, per *munera*, per
*memorias aliquas* dominum conciliare. Præſertim cum Strahovici no-
ſtri *Deum* toties tamve efflictim deprecentur, *ut preces Norberti propter*
*ipſos admittat* Tam incerti Norberticæ Interceſſionis, *pro ipſo* inter-
cedunt, ac ſeſe aliosque in dubitationis barathrum dant præcipites.
Homo ſanè quàm rectè & oportunè Superiores aditurus ſit, maximè
ſpectat diſertum voluntatis gratioſæ promiſſum. Quo divinitus edi-
to in S. literis, ac toties deprædicato, Deum & ipſum pernoſſe intima
cordium, & velle ut *ad ſeſe unum, ſine morâ ac mediatore alio, præter Chri-*
*ſtum*, unicum illum in gratiâ hominem, accedatur ab omni ætate & or-
dine, quæ tandem illa διανοίας ἀῤῥωσία ſit, ſuis rationibus ſponte ob-
niti; ac moleſtias captare in ſummâ votorum omnium, quas in hu-
mano vitæ uſu tantoperè abhorremus ſinguli? Certè Strahovicis pa-
rum è re ſuâ videbitur, cum Cæſarum beneficia aucupati, à conſpectu
arcebuntur, ac per internuncios, alio tam anxio & incerti eventûs
cultu demerendos, rem ſuam agere cogentur. Eoque *Vigilantii* pro-
poſitum ab Hieronymo tantâ acerbitate exagitandum non erat, ſi,
